



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guida per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>



32101 068310828

AI  
**RECAP**


GUERTZ

6168

LIBRARY OF PRINCETON UNIVERSITY

2953  
.678

AMERICAN





Confer: le Supplement au  
Dictionnaire de Bayle pag:  
105. voc. Niptus & son:  
Ab: Fabricii bibl. mediae  
& infimae Latinitatis lib:  
XIII. pag: 408. addatur Bi-  
blioth: Neapolitana & Tomi  
pag: 4. voc. Augustino Nifi  
& Moshof in Polyhistorum Tom.  
II. Lib. V. num. II.

AUGUSTINI  
NIPHI, PHILOSOPHI  
SUESSANI,  
De Auguriis, Libri II.

NEC NON

De diebus Criticis, Liber I.

*NUNC DENUO EXCISI, ET à CRASSIORIBUS,  
quibus in vetusto Codice scatebant, mendis, repurgati.*

HIS ACCESSERUNT

URANIÆ DIVINATRICIS, QUOAD  
Astrologiæ generalia, Libri II.

*Jam primò in lucem evolantes,*

ALAS SUPPEDITANTE

RODOLPHO GOCCLENIO, MED. D.

*& Profess. Math. ord. in Acad.*

*Marpurg.*

AD ILLUSTRÉS ET AMPLISSIMOS  
ORDINES GRONINGÆ ET OMLANDIÆ.



MARPURGI, Typis Pauli Egenolphi, Typogr. Acad.

ANNO MDLXXIV.

Printed by Google

ALPHONSE  
DE  
L'ACADEMIE  
FRANCOISE

LE  
ROY  
MONTREUR  
LE  
DIEU  
LE  
DIEU  
LE  
DIEU

LE  
DIEU  
LE  
DIEU  
LE  
DIEU  
LE  
DIEU  
LE  
DIEU



LE  
DIEU  
LE  
DIEU  
LE  
DIEU

ANNO 1710



ILLUSTRIBUS, AMPLISSI-  
 MIS, AC PRUDENTISSIMIS GRO-  
 NINGÆ ET OMLANDIÆ ORDI-  
 NIBUS,

ROD. GOCLENIIUS, MED. D. PRECATUR  
 prosperitatem summam.



*B* eo tempore, Ordines Amplissimi,  
 quo primum aditus mihi ad adyta  
 purioris & secretioris Philosophiæ,  
 Dei & naturæ beneficio, est monstra-  
 tus & patefactus, cœpiq; in primis de  
 artium divinissima Astronomia, & conjunctissima  
 ejus sorore Astrologia meditari aliquantò sublimius  
 & solidius, nihil sum admiratus magis, quàm fuisse,  
 & etiamnum esse inter homines eruditos, qui omne  
 divinationum genus, præcipuè verò, eam Naturæ  
 partem, quæ astrorum docet effectiones, quæ ex sîde-  
 rum positu, de corporum valetudine, ingenii, tempe-  
 ramento, multisq; aliis in vita casibus, judicat, in-  
 sulsè, inscitè, ac superbe derident, cum mediocriter in  
 Philosophia eruditi facillè intelligant, mirificum hoc  
 theatrum ac spectaculum cum splendidissimis lumi-  
 nibus

2953  
 678

): ( 2 nibus



nibus non frustra & sine viribus ob oculos nobis posuisse Deum, sed voluisse potius, ut in caelestia signa animadvertamus, ut regere aliquomodo fortunam, immoderatos animi motus, moresq; inordinatos refrenare ac compescere, & cavere saevas tempestates, vel certè mitigare possemus. Rectissimè enim dictum est:

Qui sapit, ille animum fortunæ præparat omni,  
Prævisumq; potest arte levare malum..

Nam verissimum est, quod Ptolomæus ait: Sapiens anima adjuvat caelestem operationem, quemadmodum optimus agricola arando expurgandoq; adjuvat naturam, quod ipsum & rationalis prudensq; Medicus in primis attendit. Et certè patet hoc quàm latissimè in cura valetudinis, in deligendo vita studiiq; genere, in suscipiendis negotiis vel aptis, vel abhorrentibus ab ingenio. Si Curionis & Antonii parentes satis intellexissent naturam filiorum, flectere singulari arte fera & inquieta ingenia ad moderationem potuissent, sicut accepimus Philippum Macedonem in filio Alexandro asperiores, & impatientem imperii naturam doctrina & Philosophia flexisse ad suavitatem & comitatem. Sed hanc controversiam in prima hujus meæ Astrologia parte tracta-

## D E D I C A T O R I A .

tractavi prolixius, ideoq; eâ relicta, pergo ad id, cujus potissimum gratiâ mea oratio instituta est. Cum Astrologia reconditiora atque abditiora habeat, quàm alia artes, principia, & sublimior propterea semper habita sit, quàm ut humilitas vulgi ad eam ascendere unquam posset: multa autem superstitionum hominum deliria in eam irrepserint, & ab antiquis quoq; Astrologis ita perplexè tradita, obscuritatisq; nebulis sit involuta, ut has discutere vix humani sit ingenii, & deniq; adhuc ferè nemo extiterit, qui URANIÆ hujus divinatricis doctrinam, recta methodo ita esset complexus, ut inde sine magno temporis & laboris dispendio juventus eam addiscere & percipere possit (quanquam certum sit, sua naturâ requirere ingenia sibi destinata,) difficultas denique & perplexitas multorum animos à divina hujus scientiæ contemplatione, deterreat ac arceat, operam & oleum me perditurum ne utinam speravi, si, superstitionis & obscuritatis tenebris discussis, fulgorem & nitorem saltem aliquem ei restituerem, principiaq; quadam vera & genuina, quantum quidem beneficio sensus atq; experientia fieri potuit, exuerem: principia, inquam,

): ( 3      quæ

qua cum veritatis lumine, veraq; pietate non pugnent, secus enim iis nihil placeat tribuendum censeo.


Cum autem à doctis semper virus laudabilis ille fuerit observatus mos, ut nihil in publicum prodire patiantur, nisi prius Patroni alicujus insignis praesidio & auctoritate, contra virulentum Momi morsum sit probe communitum, mihi quoq; ab hac consuetudine discedendum non putavi. In his cogitationibus versanti praeter opinionem copia mihi fit Programmatis publici, quo Illustris Groningensis Schola fundatio & apertura confirmatur: cumq; animadvertirem, eo ipso tempore & die, qui initio exercitiorum & laborum Scholasticorum in Schola Groningensi est destinatus, Typographum quoque huic mea Urania, colophonem addere, tacito quodam animi sensu, & boni ominis quasi augurio, ad Vestras, Amplissimi Ordines, laudes & honorem, abreptus, hunc meum laborem & operam consecrare vobis nihil sum veritus. Sed multò magis me movit Splendor gloriae Vestrae, Nobilis dignitas, potentia, civilis prudentia, aequitas, liberalitas, eruditio, tum insignis vester erga literarum studia amor. Quanti enim sitis Musarum cultores & Meccenates,

## D E D I C A T O R I A.

nates, quanto desiderio & amore literarum ducamini, quàm benevoli, propensi, & benefici sitis erga singulos, qui in iis excolendis omnes ingenii vires intendunt, quàm deniq; vobis sit cura & cordi fortuna Patria, satis superq; ostendit, omni seculorum memoriâ celebrandum institutum & factum vestrum, quòd maturo & prudentissimo consilio in Metropoli Vestra Groninga Scholam publicam, & Academiam fundastis & aperuistis, in qua juvenus & studiosa cohors liberalibus disciplinis imbueretur, & ad omne pietatis, eruditionisq; genus informaretur. Et certè, rectè sensistis & judicastis, dum praclarum militia genus, literarum scilicet, ne Respublica Cyclopica barbarie & inscitia oppressa succumbat, excitandū, nec negligendum decrevistis. Vobis igitur fundatoribus Groninga meritò gaudet, jubilat, exultat. Et vos ipsi gaudere ex animo debetis, quòd, quos jam surculos vestra manu in vestro seminario servistis, & subinde alios aliò transfereudos curabitis, ii tandem in justas arbores excrecentes, patulosq; diffusi in ramos, multos mortales umbris suis protecturi sint, qui sub eorum quasi tutela, quietè, suaviter, & honestè vivant, indeq; efflorescen-

EPIST. DEDICAT.

rescentes, fructus progeneraturi sua viores & uberiores. Promerebimini honestissimum apud omnes gentes nomen, & beneficium hoc vestrum ad perpetuas seculorum aetates cum insigni vestra gloria est transiturum. Quod igitur, Minerva, & Musa mea, publicum aliquod congratulationis, de hoc praclaro vestro instituto, monumentum extare voluerunt, id Vestris Magn. & Ampl. haud sperant fore ingratum, cum certo sibi persuasum habeant, quod observanter & demisse offerunt donarium, id Vestras Amplit. in publicum observantiae & gratulationis testimonium, Fama sua templo affixuras. Deus Opt. Max. cujus providentia omnia disponuntur, eriguntur ac gubernantur, conatus vestros promoveat ac secundet, Vosq; diutissime sospitet. Dabam Marp. è Muséo meo, Anno MDCXIV. 13. Aug.



I

AUGUSTINI NIPHI ME-  
DICES PHILOSOPHI  
SUESSANI,  
LIBRORUM DE AUGURIIS:  
AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM,  
GUIDONEM RANGONIUM,  
magnanimum Comitem,

PRÆFATIO.



QUANTA apud priscos homines inoleverit vanitas, Magnanime Guido, ex iis, quæ de auguriis, deq; augurandi artibus tradiderunt, non est obscurū intelligere. Cilicum & Pisidarum gens, hisq; finitima Pamphilia, volatibus avium, cautibusq; declarari res futuras crediderunt. Democritus, Chrysippus, Diogenes Babylonius, Antipater, Possidonius rem probaverunt. Romulus Augur optimus Urbem auspiciato condidit. Prisci Reges, Romaniq; ipsi tantam fidem auguriis præstabant, ut sine auspiciis nullas res profus gererent, dicerentq; & templa augusta, eademq; ab origine auguria, quod à Jove manu sua aucta fuerint atq; data. Tiberius Grachus augurum & aruspicum disciplinam cæteris divinationibus anteposuit, quæ in Telmesso Caria urbe claruit. Phryges quoq; & Arabes avium significationibus obtemperabant, quod etiam effecerunt Umbri. Plinius insuper in historia naturalis libris, non modo his fidem præstat, verum etiam multis exemplis probat. Livius etiam ubiq; auguria magnificat, & ubi opus erat, annotavit. Hesiodus in narratione obsessionis Nini aquilam augurii præsidem bibentem facit. Aristot. omnium Philosophorum magister, non solum auguriis fidem adhibet, sed ex animalibus multa colligi monet. Unde libris de animalium historia inquit, l. 6. c. 2. gallina etiam discissa, talia subseptis, quo loco fœminis ova adherent, reperta sunt, colore luceo tota magnitudine ovi perfecti, quod pro ostento augures capiunt. Præterea cum de lacte & colostro

loque-

loqueretur, sed hæc ostentis inquit annumeranda potius ducunt, nam & Læ-  
 manio illi pecoris domino consulenti, Deus amplius incrementum peculis fu-  
 turum responderet, l. 3. c. 20. & cum de sternit amëto loqueretur, l. 1. c. 11. signum  
 est, inquit, augurale, & unum ex spirituum omnium generibus sanctum & sa-  
 crum, per quæ non modo fidem auguriis tribuere, verum etiam probare vide-  
 tur. Celeberrimi verò augures, qui & fidem auspiciis præstiterunt, & auguria  
 obseruauerunt, plurimi fuerunt, inter quos Deiotarus Sicilie Rex, qui (ut Ci-  
 cero inquit) nihil unquam nisi auspiciato gessit. Tisamens, Antiochi filius, ad eò  
 auguriorum facultatem percalluit, ut apud Delphos oracula redderet. Len-  
 cadius celeberrimus aruspex, qui Hyppomachus nomine dicebatur, auguria  
 apud Grecos obseruauit. Veltius in augurandi disciplina nobilissimus fuit,  
 hic enim, ut scribit Varro in libris antiquitatum, affirmavit futurum Romanò  
 Imperii terminum post 1200. annos. Theocritus augur fuit præstantissimus,  
 qui auctoritate augurandi omnibus suis temporis auguribus antebat. Um-  
 brinius tantam auguriis fidem tribuit, ut ipsa esse Deorum verba assereret. Ty-  
 burnus, Amphiaras filius, ad eò auguriis adhesit, ut Tyburtes non alio nomi-  
 ne, quam à Tyburno dici voluerint. Amphiaras, Oiclei filius, augur fuit  
 Græcus, quem cum Adrastus Rex in bellum contra Thebas vellet ducere, re-  
 cusauit, & ne cogeretur, sese oculis, quòd prouideret ibidem se periturum.  
 Tiresias, Thebanorum Rex, non modo auguriis fidem præstitit, verum etiam  
 auguristica artis inventorem fuisse memoria proditum est. Tages verò pri-  
 mus omnium auspicii disciplinam dedit. Hi sunt homines, qui vanitatibus  
 auguriorum adhererant. Ne igitur huiusmodi præsci homines prophæticis dent  
 errandi occasione, de auguriis duos libros struendos esse putauimus. Primum,  
 in quo vanitates omnes, quas tradiderunt, enarrabimus. Secundum autem, in  
 quo & opiniones, & causas, quibus huiusmodi vanitatibus fidem tribuerunt,  
 reprobabimus, exponemusq;, & quibus auguriis fides sit præstanda, & usq;  
 quò augurandum sit. Verum cum aliquid publicatum, primario cuidam vi-  
 ro dicatum, non parum auctoritatis capiat: Ad te, Guido Illustris, qui stu-  
 diosorum virorum fautor præcipuus, atq; tuorum parium similiumq; iubar  
 es splendidissimum, librum hunc scribimus, ut intelligas, quibus auguriis fi-  
 des sit præstanda, quibus autem non, insuper quid de eò Philosophi, quid uo  
 sanctissimi viri senserint. Virtus enim tua declarauit non modo grato animo  
 labores nostros, verum etiam summo desiderio te esse suscepturum. Accipe  
 igitur libellum, quem si à se commendatum sensero, ad majora munera as-  
 cengar. Vale.



## DE AUGURIIS LIB. I.

### CAPUT I.

# QUID PER NOMEN AUGURII *sit intelligendum, & quo ordine proce- dendum.*



**A**NT EQUAM ad rem, quæ nobis augurium fert, deveniamus, quid per augurium intellexerint prisci, ac quo modo nos in disputationem accipiamus, exponendum videtur. Est igitur *Augurium* divinatio quædam, quæ ex avibus ipsis colligitur. *Divinatio* autem, ut Aristot. inquit libro de somniis, bifariam dicitur: aut naturalis, aut artificia. Naturalis quidem divinatio est ipsa avis, quæ volatu, aut vocibus, aut gustatu ex insperato nobis suapte natura aliquid boni, aut mali futuri prædicat, & de hac naturali divinatione Virgilius loquitur, cum inquit, quod, nisi me quacunq; novas incidere lites, Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix: Nectus hic Mœris, nec vinceret ipse Menalcas. Artificia verò, est interpretatio auguris, qua naturalem divinationem in suam significationem interpretatur, unde Cicero in libro de legibus, sacerdotum genera duo esse dicit, unum, quod præsit ceremoniis & sacris, alterum, quod interpretatur fatidicorum & vatum effata incognitaq;. Divinationis autem erant tria in avibus. Nam aliæ volatu, aliæ cantu, aliæ gustatu futura prædicebant. Infelicem

A 2

enim



enim conflictum in Numantinis, in Mancinum illatum prædixerunt pulli, quiescam non acceperunt, sed ex cavea evolverunt. *Auspicium* verò differt ab augurio, quandoquidem augurium fit propriè avium garritu, ac voce duntaxat, auspicium autem ab avium volatu. Nonius verò Marcellus docet, *Auspicium* esse avium inspectionem. *Augurium* verò rerum omnium conjecturam. *Aruspicium* ex victimis in ara inspiciendis fiebat. *Extispices* verò dicebantur ab inspiciendis extis. *Omen* est intentio auspicantis, qua auspicans ipse aliquid, quod sibi occurrit, ut auguriū accipit, diciturq; bonum & malum omen, ut apud Livium non semel legitur, cum procis necem machinaretur Ulysses, precatus est Jovem, ut duplex illi signum daret, quo id, quod animo conceperat, perfectum iri certò sciret, cui illico intonuit Juppiter, & puellam in edibus pistrino adductam Deos rogantem sensit, ut non diutius eo die in Ulyssis domo comederent proci, quod Ulysses pro omine accepit: nec defuit rei eventus, siquidem eo die ab Ulysse & Telemacho ad unum cæsi sunt. *Præfagium* autem communius est. Omne enim animal, quod præfagit, quod oblata res est, dicitur præfagite, hoc est, futura ante sentire. *Vaticinium* ipsa divinatio est, quæ (ut diximus) aut naturalis, aut artificiaris est. *Ostentum*, quod statim futuri quicquã ostendat, ut cometæ, tonitrua, monstrum, & id genus. *Portentum*, quod licet naturale sit, rarò tamen se ostendit, quin futuri aliquid cum temporis intervallo denunciat. *Prodigium* dicitur, quod & natura fiat, & sæpè eveniat, semper tamen mali quicquam præfagit, ut apud Homerum, Odyss. 21. nam ubi Ulysses nullo negotio arcum præter omnium procorum opinionem intendisset, quo eos confecturus erat, Juppiter maximo fragore intonuit, quod prodigium Ulyssis conatus adversum procos non irritos fore (ut postea eventus docuit) portendebat: præterea Græcis certantibus Juppiter

rotam

totam noctem tonans, calamitatis prodigiū. Ad dedit, ut apud Homerum Il. II. cum utraq; acies, Græcorum & Trojanorum in procinctu staret, Juppiter prævidens magnam Græcorum cladem, sanguinem pluit, Homerus Il. II. verum placet nobis Augurii nomine uti pro his omnibus, & pro quibuscunq; aliis, quæ veteres in futuri significationem retulerunt, idè de his percurrentes dicimus, de auguriis, primò quæ ex sternutamentis prisca acceperunt, deinde de auguriis, quæ ex tremoribus cujusq; particulæ nostri corporis sumpta sunt, demum de auguriis, quæ ex aliis quibuscunq; accepta in futuri significationem retulerunt. Nam vulgares in his omnibus esse crediderunt auguria.

## C A P. II.

*Quatuor esse necessaria in auguriis secundum  
priscorum usum.*

SEd quot in auguriis necessaria sint secundum priscorum usum, edoceamus. Credit enim gentilium vanitas, in auguriorum usu quatuor esse necessaria. *Objectum*, quod præter intentionem, hoc est, ex insperato auspicanti occurrit, sive sit avis, sive belua, sive sternutamentum, sive tremor, sive res quævis alia. *Persona auspicans*, cui tale objectum ex insperato præter intentionem se offert. *Intentio auspicantis*, qua objectum, quod occurrit, in augurium refertur, & *Hora*, qua objectum, quod præter intentionem ex insperato occurrit, nulla præcedente ratiocinatione, quasi naturali impetu pro augurio accipitur.

## C A P. III.

*De objectis Augurificis.*

**D**e objectis & augurificis variz apud priscos fuerunt ob-  
servationes. Nam alii sternutamentis pro objectis augura-  
libus utuntur, alii tremoribus ac saltibus particularum corpo-  
ris, alii utuntur pro auguralibus objectis, & homine, & avibus,  
& feris, alii utuntur avibus duntaxat, alii utuntur omni eo,  
quod ex insperato occurrit. Sunt deniq; alii, qui objecta augu-  
ralia in 12. reducerunt, pro numero 12. signorum Zodiaci, per  
quæ decurrit Luna movens auguria: de quibus dicemus post-  
ea: at nunc satis sit generatim hæc attigisse.

#### C A P. IV.

##### *De persona auspicante.*

**D**e persona auspicante post hæc differendum, Mathematici  
enim autumant non omnem hominem esse, cui auguria  
mali aut boni quicquam portendunt, & hanc ob causam non-  
nulli tradunt personam, cui auguria prædicunt, eam esse, quæ  
inter alios homines prærogativam habet, nec sine ratione mo-  
ventur: Nam si universi ordo (ut putant) auguria movet, non  
nisi propter hominis bonum movere videtur, potissimumq;  
ejus hominis, qui cæteris antestat, cum sit magis ab ipsa natura  
intentus. Accedit quòd ex bono aut malo præminentis ho-  
minis, multorum etiam bonum aut malum pendeat. Quare  
viris duntaxat illustribus, qui potentia, aut virtute, aut divitiis,  
aut dominatione aliis præsumt, auguria prædicere futura arbi-  
trantur. Nos autem contraria legimus: Nam dejectis etiam  
personis nonnunquam boni quicquam aut mali auguria signi-  
ficasse, in libris historiarum comperimus, ob id gentilium va-  
nitas omnem hominẽ arbitrantur posse esse, cui auguria con-  
tingunt, modò objecta augurifica (ut dicemus) pro auguriis  
acceperit. Dejectæ etiam personæ nonnunquam illustres viros  
virtu-

virtutibus & studiis excellunt, & ob hanc rem ( ut Arist. inquit Ethicor. 10. ) à natura ipsa atq; ab ipso Deo magis diliguntur, quare fit, ut persona omnis sit apta, ut ei auguria contingant, modò præter rationem, præmeditationémve ex insperato augurifica objecta evenerint.

## C A P. V.

*De intentione auspicantis.*

**Q**Uare nisi persona auspicans naturali quodam impetu, objectum ut augurium sumat, quod ex insperato occurrit, nequaquam ( ut scribunt augures ) augurium esse poterit, quatenus enim objectum, quod ex insperato occurrit, impetu quodam naturali pro augurio accipimus, decernitur stellam movisse tum objectum, ut occurrat, tum mentem nostram, ut pro augurio illud sumat. Motus enim naturales motu cœlesti regulantur & diriguntur. At cùm objectum impetu naturali nobis occurrat, nosq; impetu naturæ illud ut augurium accipiamus, fit, ut uterque impetus cœlesti motu regulatur. Est autem huic rei nobis exemplo, Scipio Africanus, qui cùm descenderet à navicula, in terramq; cecidisset, mox occursum in augurium referens, dixit, teneo te tellus, non enim augurium fuisset, nisi naturali quodam impetu à Scipione ominante id in augurium relatum fuisset. Insuper cùm L. Paulo Macedonicum bellum Senatus extra ordinem decrevisset, & ea ipsa die domum ad vespas rediisset, filiulam suam tertiam, quæ tunc erat parvula, admodum osculans, animadvertit tristorem, quam cùm interrogasset, quid ita tristis esset, pater, inquit, Persa periit: tum ille arctius puellam complexus, accipiamus ( inquit ) mea filiola omen: erat autem mortua Catella eo nomine, quam puella habuerat in deliriis: L. autem Paulus omen

omen accipit, Persam Macedonum regem, adversus quem sibi decreta fuerat provincia, eo bello periturum, quod & factum est. Præterea intentionem esse necessariam in auguriis, declarat caput humanum inventum in Tarpejo delubro, cujus fatum volens in Hetruriam transferre Olenus Calenus, celeberrimus vates, interrogavit legatos Romanos, hic caput invenimus, quod translatum fuisset in Hetruriam, ni præmoniti à filio vatis legati respondissent, non planè hic, sed Romæ inventum caput dicimus. Hæc satis sint pro exemplis, ut appareant ostentorum vires è nostra potestate esse, ac prout quæq; accepta sunt, ita valere. Hæc Plinius lib. 28. c. 2. patet itaq; nullum objectum nobis posse esse augurificum, nisi naturali impetu ex eo omen sumperimus.

## C A P. VI.

*De hora electa, qua objectum augurificum in  
augurium refertur.*

**E**T cùm per verum tempus Astronomi verum ejus stellæ locum invenire docent, quæ in causa est, de tempore dicamus. Nonnulli itaq; verum tempus autumant, quo objectum augurificum ex insperato nobis occurrit: Nam eo tempore videtur objectum ab ea stella moveri, quæ in causa est. Alii peritiores arbitrantur verum tempus esse id, quo persona, cui occurrit, naturali impetu objectum pro augurio accipit. Siquidem hæc pronuntiatio, quæ ori hominis inconsulto incidit, cui objectum occurrit, attendenda est. Nam (ut Plinius inquit) hoc est illud, quod primò in augurio dicitur omen, quod divino favore evenire credidit gentilium vanitas. In nonnullis vero omen, atq; objecti occursum eodem momento temporis accidunt, nec ob aliam causam quidem, nisi quia cœlestis stella fortiter

fortiter movet utriusq; naturam, simulatq; utramq; impellit. Ex his licet deducere nihil nobis posse esse augurificum, nisi nos ex illo naturali quodam impetu boni quicquam aut mali futurum esse ominemur. Cùm enim sic ex illo inconsulto ominabimur, naturali motu moveri videmur, motus autem naturæ (ut Theophrastus & Themistius tradiderunt) ab intelligentia non errante est. Intelligentia verò nos movet influente cœli motu. Quare insperata illa ominatio nobis argumento erit, ut augurificum illud naturale sit, non omninò temerè, ac casu eveniens: huic rei nobis argumento est Dejotarus, Siliciæ rex, qui cùm aquilam vidisset declinantem in tectum, ab ejus usu quàm primū abstinuit, ex ea omen sumens, sequenti verò nocte corruit tectum. Patet itaq; nihil nobis posse esse augurificum, nisi ex illo impetu quodam naturali omen sumpserimus: hætenus de hora electa, per quæ patet augurium pro uno esse accipiendum, etiamsi pluries acciderit, omnia enim eandem vim habent.

## C A P. VII.

*De tempore quo eventus erit.*

**C**onsequenter verò de tempore, quo eventus erit, dicemus. Tradunt Astronomi eventus, quos augurium portendit, bifariam esse, aut qui brevi tempore evenire possunt, ut infra horam, aut diem, ceu adventus hospitis, vel amici obviatio, & id genus, aut qui nec infra diem, aut horam, sed infra mensem, aut annum contingere possunt, ut bellum, mortalitas, & cætera id genus. Cùm igitur brevi tempore eventus esse potest, auspiciandum est, ipsum fore antequam Luna exeat signum, per quod peragrabat eo tempore, quo omen emerfit. Sin autem brevi tempore esse non poterit, censent eum fore

B

ante-

antequam Luna duodecies peragraverit id signum, quod omnis tempore tenebat, hoc est, infra annum. Ut si omnis significatio fuerit de Pontificis, aut Præsulis, aut Patriarchæ, aut Regis morte, hanc evenire putant, antequam Luna duodecies peragret signum, quod omnis tempore tenebat: hæc de temporibus. His declaratis superest de auguriis & sternutamentis dicere, quæ gentilium vanitas credidit esse certa.

## C A P. VIII.

### *De sternutamentis augurificis.*

**A**Ristoteles tantus in doctrina vir, de sternutamentis loquens, in libris de historia naturali asserit, sternutamentum augurale signum esse sanctum, & sacrum, ubi Penelope conqueritur de damno ac injuria, quam proci familiæ suæ inferebant, adjiciens horum omnium originem esse Ulyssis mariti absentiam, qui si rediret, facile unâ cum filio Telemacho injuriam rependeret: hæc ubi dixisset, Telemachus illico tanto strepitu sternutavit, ut tota domus insonuerit, quod interpretata est Penelope procorum cædem significare. Sternutamentum esse sanctum & sacrum, Homerus tradit Odyss. 6. ut Plutarchus refert in vita Homeri: idemq; Theocritus in Helenæ Epithalamio scribit. Hinc gentiles superstitiones non paucas in sternutamentis considerant, tradunt enim gentes plurimæ, cogitanti aliquid agere, si duo aut quatuor sternutamenta contigerint, augurale esse, in bonum finem rem agendam deduci. Sin autem quis plusquam quater sternutaverit, nec in bonum, nec in malum retulerunt prisca. Si quis verò semel, aut ter sternutaverit, omnia omittat & dicere, & facere, tradunt enim in bonum finem nec citò, nec facile rem venire. Si duo simul sternutaverint, quæ agere deliberaverunt, prosequantur,

tur, tradunt enim prosperum esse augurium tam in agendis per mare, quàm per tellurem : si duo simul bis sternutaverint, prosequantur quod ceperunt, optimum enim esse augurium tradunt & in agendis & dicendis. Si quis de novo in aliquem locum venerit, & semel sternutaverit, in bonum finem rem deducet, quam agere proposuerat. Sternutamentum nocte factum alicui eorum, qui in domo sunt, lucrum portendere asserunt, duo verò damnum, de significatione verò eum participare asserunt, qui nocte sternutat. Duo sternutamenta omni nocte facta ab aliquo eorum, qui in domo sunt, aliquam de domo personam morituram, aut in domo damnum, vel maximum lucrum portendere tradunt. Ægyptii quoq; dixerunt, cùm quis de novo domum inhabitare cœperit, & domum intrando semel sternutaverit, quòd securè eam inhabitet, sin autem bis, nequaquam eam ingrediatur. Homine in suo lecto jacente, si vigilaverit, sternutaveritq; semel, malum portenditur, quoniam morbum, aut damnum, aut aliquid tale enunciat, quod si dormierit, & illico expergefactus sternutaverit, longè pejus. Nam vel grandem tristitiam, vel mortem personæ, vel impedimentum gravissimum, aut rerum amissionem præfagit : sin autem aliquis in lecto jacendo, evigilandoq; bis sternutaverit, aliquid boni assequetur, quoniam aut lucrum, aut sanitatem, si ægrotaverit : quod si dormierit, longè meliùs attinget. Verùm si omni nocte usq; in tertiam quis sternutaverit bis, tunc ad optimum proficiscetur, quoniam vel in lucrum, vel in honores. Si quis pro tota, aut pro parte diei negotiando, agendoq; peregrinatus sit, & in aliquo hospitio requieverit, bisq; in eo loco sternutaverit, locum mutet, nam in alio hospitio, ad quod se permutaverit, prosperabitur, manens enim in priori damnū patietur. Cùm quis aliquem locum petierit causa agendi rem, aliquam, & mox semel sternutaverit, confestim ex illo loco dis-



cedat, in alio enim loco pro parte prosperabitur, quod si bis sternutaverit, tutè poterit res suas ex illo priori loco in alium permutare. Si quis pacto rei alicujus constituto, semel sternutaverit, pro certo habent pactum esse firmum. At si ter sternutaverit, pactum erit infirmum. Si quis die Lunæ summo mane, cum de lecto surget, semel sternutaverit, tota ea hebdomada in lucro, aut in alia re prosperabitur: contra verò si bis. Si quis perdidit equum, aut annulum, aut rem quamvis, & exiundo domum, ut rem illam quærat, semel sternutaverit, rem amissam recuperabit: at si bis, nunquam rem inveniet. Die verò Dominica, cum si quis è lecto surgens, ter sternutaverit, bonum, semel verò malum assequetur. Ante prandium vel coenam, cum quis comedere coeperit, & bis sternutaverit, bonum, semel verò malum inveniet. Tradit Aristoteles, & medici probant, ægris viris de vita diffidentibus unum sternutamentum superveniens, mortale esse, binum autem salutare, mulieribus autem contra, nam unum salutare, binum verò mortale est. Peragranti sylvam, bina sternutamenta supervenientia, evasionem à latronibus nunciant, unum verò malum. Hæc sunt, quæ de auguriis ex sternutamentis sumptis scribunt Ægyptii, sunt & alia, quæ omitto, cum longè vaniora videantur iis, quæ diximus.

---

## C A P. IX.

### *De saltibus tremoribusq; cujusq; particule corporis auguralibus.*

**P**ost hæc de iis auguriis differendū est, quæ Melampus Hierogrammateus ex tremoribus saltibusq;, qui in hominum membris fiunt, collegit, opinarus enim saltus membrorum augurales esse, quod etiam Theocritus probavit, insitū nobis sumpto

sumpto ab ipsius capitis *Apice*. Nam si apex capitis tremue-  
 rit, tristitias ac molestias præfagit, aut longum iter futurum,  
 seruo tamen injurias, virgini virum, viduæ tristitias, secundum  
 alios authores, malorum occursum decernit, virgini nuptias,  
 quoniam ( ut dicunt ) Juppiter ex suo apice Minervam genuit,  
 viduæ quoq; similiter nuptias, diviti damnum ac insidias, mi-  
 liti felicitatem, nautæ tempestatem, in apice verò suo, qui tem-  
 pestatem patiuntur, superstites erunt. *Caput* verò si concutie-  
 tur, aut si capilli erecti fuerint, aut si in aliquo tempore hor-  
 reant, multo tempore constanter insidias indicant, aut ab ami-  
 co aliquo, aut consanguineo damnum portendunt, seruo aut-  
 tem ægritudinem, virgini vituperationem, viduæ injuriam,  
 pauperibus, & iis, qui indigent, bonum ominantur. Divitibus  
 imbecillitatem, ac vitæ insolentiam : aegroto verò vitam : ali-  
 ter tradunt alii, dicunt enim caput ( si tremuerit ) malum mul-  
 to tempore duraturum enunciat, seruo mortem, hero, ac vi-  
 duæ damnum. Aliis personis subjugationem, & rursus liberta-  
 tem indicat. Si totum caput salierit, mortem præfagit, aliis  
 multa bona enunciat. At si pars capitis posterior usq; ad conca-  
 vum, plerumq; inimicum ; & insidias, & peculiarem mortem,  
 reliquis verò adversitatem, seruo bonum, virgini virum bo-  
 num ; viduæ ægritudinem, diviti periculum, agricolæ laborem  
 significat. Si verò dextera capitis pars, bonum ominatur, ser-  
 vo gaudium & libertatem, virgini vituperationem, viduæ bo-  
 num, vidualitatis suæ perseverantiam. Sin autem sinistra, da-  
 mnum, seruo domus mutationem, virgini vituperationem,  
 viduæ contumeliam. Post hæc *de cerebro*, nam cerebrum saliens  
 bene valenti morbum, aegrotanti sanitatem, augmentum cor-  
 poris & victum denotat, sterili verò filium, & gaudium, exuli  
 peregrinationem, & reditum in patriam, militi verò & nautæ  
 capitis periculum. Deinde *de fronte*, si enim frons tremuerit, in-

res pudendas ac vituperabiles incidere significat, seruo domini mortem, virgini insidias, viduæ damnum. At si dextera frontis pars, magnitudinem potentiaæ præfagit, seruo injuriam, virgini consilium. Sin autem sinistra, plerumq; malum, & luctum significat, seruo utilitatem, virgini nuptias, viduæ vituperationem: at si frontis medium, luctum, seruo malum, viduæ injuriam, virgini utilitatem, aliis personis omnibus bonum enunciat. *De temporibus* autem: si enim temporum tremita verit dextrum, semper bonum enunciat, seruo autem inæqualitatem, virgini convivium oportunum, viduæ peregrinationem, & utilitatem: si sinistrum, semper bonum, & inopinam utilitatem, præfagit, seruo inæqualitatem, virgini nuptiarum impedimentum, viduæ bonum. *Et de superciliis*: nam si dextrum supercilium salierit, ægritudinem brevem, & non multò post illam, opulentiam enunciat: pauperi verò divitias, seruo bonum, virgini vituperationem, viduæ injuriam: si sinistrum, multa inopina bona significat, ac felicitatem, ex qua fidem habebit. Si medium, quod est inter supercilia (ut Melampus & Phœmon, afferuerunt) omnibus malum præfagit, seruo tamen bonum, virgini consilium, viduæ utilitatem. *De oculis* post hæc dicamus: si dexter oculus salierit (ut Phœmon, & Melampus, & Antiphon, & Ægyptii tradiderunt) portendit, subditos inimicos fore, & peregrinationes. Si dextri oculi superior palpebra, acquisitionem omninò, secundum verò Antiphontæ negotiationem, & sanitatem significat, seruo insidias, viduæ peregrinationem: sin autem palpebra inferior, lachrymas enunciat, seruo bonum, virgini injuriam, viduæ subjugationem: si angulus dextri oculi tremuerit, pauperi injucunditatem, seruo bonum, virgini periculum, viduæ inhonorationem, atq; inimici peregrinantis reditum. Si sinister oculus quatitur, adventum hostis maxime dilecti, aut futurum iter denunciat, & si aliquis

ab iplo

ab ipso fugiet, cum per longum iter inveniet, & spem mulieribus etiam significat, pauperi verò iter in bonum, aliis multum laborem, & parum possidere præfagit. Si sinistri oculi superior palpebra salierit, pauperi acquisitionem & opulentiam significat, servo infidias, virgini vituperationem, viduæ bonum, diviti convivium, agricolæ & venatori auxilium & utilitatem, militi felicitatem: si sinistri oculi dexter angulus salierit, sanitatem & salutem ominatur: si verò sinister, omnia bona significat: si inferior sinistri oculi palpebra, injucunditatem, servo calumniam, virgini incorruptibilitatem, viduæ injuriam. *De naso* post hæc, si dextra nasi pars salierit (ut Melampus inquit) injucunditates fugere significat, servo utilitatem, virgini consilium, viduæ subjugationem. Sin autem sinistra, inopina bona enunciat, servo auxilium, virgini consilium, viduæ subjugationem: at si nasi medium, tristitiam, servo injucunditatem, virgini nuptias, viduæ vituperationem: & si totus nasus, semper inopina bona præfagit. Si extrema pars sinistrae partis nasi quatitur, damnum, servo malum, virgini vituperationem, viduæ calumniam. Si extrema dextrae partis, utilitatem significat, servo verò, virgini, & viduæ injucunditatem. Si medium amborum partium extremarum naris tremuerit, damnum ac injuriam, servo bonam considerationem, viduæ auxilium. *De malis* autem Melampus inquit: Si dextrum quatitur, inopinam injuriam præfagit, servo bonum, virgini injuriam, sinistrum verò semper bonum, servo longam peregrinationem, virgini vituperationem, viduæ utilitatem. Postea *de labiis*, si superius labrum salierit, discrimen & victoriam significat, servo bonum, virgini lucrum: sin autem inferius, utilitatem, secundum verò *Ægyptios*, operis damnum. Et *de maxillis* post hæc, nam dextra si salierit, utilitatem significat, servo fidem Oeconomiae adhiberi, virgini ægritudinem, viduæ vituperationem. Sin autem

tem

tem sinistra, tristitiam in re parva quoniam, seruo utilitatem, virgini vituperationem, viduæ bonam considerationem. *De genu*, si dextra quatitur, bonam loquelam significat, seruo vadium, virgini consilium, viduæ utilitatem. Sin autem sinistra, malum pati significat, seruo morbum, virgini injuriam, viduæ injucunditatem. *De auribus* dicamus, si dextra auris salierit, aut resonuerit in aliqua re gaudium significat, seruo autem bonam locutionem, virgini acquisitionem, viduæ bonum: sin autem sinistra, sublime aliquid fieri significat, seruo verò rerum magnarum aggressum, virgini vituperationem, viduæ diminutionem: at si interior pars dextræ auris salierit, malum signum esse affirmant, sinistra autem, audiet aliquid, non tamen ex illo lætabitur, verum seruo bonum enunciat. Et *demento*, nam si menti pars dextra salierit, bonorum acquisitionem omnibus significat, sinistra verò, & bonam spem, & bonum omnibus enunciat: at si totum, nimiam senectutem prælagit. *De palato* verò, si palatum salierit, bonam in domo locutionem, & si sinistra pars, etiam bonum, contra autem si dextra. *De dentibus* autem tradunt, si dentes tremuerint, discordiam, & quandoq; etiam bonum enunciare. *De ore* verò dicunt, si os tremuerit, videri aliquem post multum tempus, quo utetur, prælagire. *De corde* dicunt, cor palpitans bonum omnibus portendere, secundum alios hilaritatem, vel amici insidias, seruo tamen libertatem, virgini pigritiam, viduæ ac militi bonam locutionem, mercatori negotiationem. *De collo*: dextra pars colli si salierit, libero homini timorem, seruo ægritudinem, cæteris omnibus bonum, si sinistra tremuerit. *De gutture*, si dextra pars gutturis quatitur, bonam locutionem significare affirmant; seruo verò ac libertino lucrum: at si sinistra pars, fugam injucunditatis omnibus significat, aliis liberam gloriam, servus mala audiet, militum numerorum acquisitionem, virgini injucunditatem; gubernatori

natori navis laudem. *De jugulo*, si dextra juguli pars tremuerit, bonum significat, servo tamen cogitationes, virgini procacitatem, viduæ laborem, militi cognationis privationem: sin autem sinistra, maligni quicquam, servo ornamentum, virgini virum, viduæ bonam locutionem, cæteris autem non bonum: secundum alios significat insidias: iis verò, qui in angustia sunt, malorum constantiam, servis egritudinem, virgini convivium, militi lachrymas, mercatori restitutionem, gubernatori navis bonum navigium: sin autem sinistra, liberti injucunditatem, servo egritudinem, militi submersionem, mercatori damnum, gubernatori tristitiam, mulieri injucunditatem: sed secundum alios viatorum damnum, servis tristitias, cæteris omnibus bonum, & convivium. *De humeris*, si dexter humerus salierit, utilitatem significat artifici manuali in opere suo, servo utilitatem, & mortem sui domini, virgini nuptias, viduæ lucrum, mercatoribus utilitatem, gubernatori bonum iter, mulieri gaudium significat: sin autem sinister, insidias à muliere illatas, sed salutares portendit. *De brachiis*, si brachium dextrum tremuerit, filiorum, ac nummorum acquisitionem prædicit, mutuantibus verò damnum, servo fidem rerum magnarum, virgini subjugationem, viduæ utilitatem: si verò sinister, auxilium à propriis personis enunciat, servo libertatem, cæteris aliis personis tristitiam. *De cubitis*, dexter cubitus si salierit, utilitatem enunciat, servo difficilem libertatem, virgini vituperationem, viduæ injuriam: sin autem sinister, damnum ab aliqua persona significat, servo felicitatem, virgini ignominiam, viduæ injuriam, cæteris aliis bonam locutionem. *De ulnis*, si dextra ulna salierit, damnum significat, servo bonam locutionem, virgini indigentiam, viduæ jucunditatis privationem: sin verò sinistra, injucunditatis privationem, servo abundantiam, virgini ac viduæ bonam locutionem. *De manibus*, si dextra manus salierit,

C

lierit,

lierit, utilitatem, sinistra fidei observantiam prælagit: & si dextræ manus junctura, nummos quos alicui debet, reddere significat, amplius & in paupertate esse, & brevi tempore vivere, & hoc in omnibus significatur verum (ut referunt augures Ægyptii) servo rem perdifficilem, virgini nuptias, viduæ peregrinationem: sinistra autem, insidias propter aliquam rem, postremò tamen juvabit, secundum alios ægritudinem, servo bonum, virgini consilium, viduæ utilitatem. *De pollice*, si dexter pollex palpitaverit, bonum significat, servo bonam locutionem, virgini nuptias, viduæ raptum: sinister remissionem, vitæ, servo libertatem, virgini injuriam, viduæ utilitatem. Si obliqua pars manus dextræ salierit, in flagitiosas res incidere ominatur, servo facultatem, virgini bonum, viduæ malum, aliis expulsiones voluntarias enunciat: sin autem sinistra obliqua pars tremuerit, servitutem pati apud homines, servo transmutationem vitæ, virgini bonum, viduæ bonam locutionem, aliis lucrum portendit: si medium dextræ manus, hoc est concavum, utilitatem, secundum alios lucrum rei alienæ, servo jucunditatis privationē, virgini consilium, viduæ luctum: sin autem sinistra, felicitatem magnam, & supra inimicos dominium, secundum alios inimicos exuperare prælagit, servo requiem, virgini injuriam, viduæ nuptias: at si superior pars dextræ manus salierit, laborem enunciat, servo moram, virgini molestiam, viduæ utilitatem, aliis verò inopinum damnum: sin autem superior dextræ, bonum ominatur, servo autem calumniam, virgini ignominiam, viduæ ab infirmitate salutem, aliis fugam molestiæ, à mulieribus seditionem, servo requiem servitutis, virgini molestiam, viduæ ignominiam, militi lachrymas, mercatoribus reditum, gubernatori bonum navigium. Si medium *humerorum* salierit, significat multis hominibus dominari, & servis, & liberis: tradunt Ægyptii, si humerus sinister

ster falierit, in advenis dementiam ominari, mutuantibus debitorum redditum fieri, servis ac latronibus transgressionem, virgini segnitiam, viduę periculum, militi gaudium cum lucro, cæteris autem labores. Si autem mediū humerorum, facultatem nunciat, servo malum, & gratiarum actionem, virgini injuriam, viduę calumniam. Si extrema pars dextri humeri, liberto bonam temperiem, servo malorum requiem, virgini procacitatem, viduę hilaritatem, militi periculum. *De digitis*, si digitus parvum dextrę manus falierit, majoris fidei dignitatem enunciat, quoniam Mercurii (ut dicunt) digitus est, aliis sterilitatem, servo calumniam, virgini ignominiam, viduę injuriam. Si secundus digitus post parvum dextrę manus, qui Gręcè dicitur *μαρτυροσ*, dominium multorum nummorum significat, est enim (ut dicunt) Solis digitus, aliis multorum bonorum acquisitionem, servo malum, virgini consilium, viduę gaudium. Si tertius digitus dextrę manus, hoc est medius, invidias & nugas ominatur, Saturni enim digitus est, aliis autem gloriam advenire præflagit, servo subjugationem, virgini morbum, viduę utilitatem: si quartus dextrę digitus falierit, damnum cum contumelia enunciat, Martis enim (ut nonnulli tradunt) est digitus, aliis nocumentum, liberto incisionem, virgini lucrum, viduę utilitatem. Si ultimus digitus, qui *ἀντιχεισ* dicitur, falierit, multorum bonorum acquisitionem significat, & in filiis & uxoribus gaudium, est enim (ut ajunt) Veneris digitus, servo bonum, virgini virum, viduę utilitatem. *De unguibus*, si ungues dextrę manus falierint, inopinum lucrum præflagiunt, servo bonam locutionem, virgini procacitatem. Si unguis parvi digiti dextrę manus falierit, malum pati enunciat, servo filium, virgini virum, viduę laborem. Sin autem secundi digiti unguis falierit, potestatem ominatur, servo domini mortem, virgini ignominiam, viduę bonum. Si verò tertii & quar-



ti, tristitiam narrat, seruo bonum: si verò magni digiti, augmentum vitæ enunciat. Si parvus digitus sinistrae manus salierit, multa bona omnibus præfagit: si secundus, tristitiam & respon- sionem à magnis personis, seruo qui est in fide incusationem: si medius, tristitiam per propriam rem, & augmentum victus, & filiorum & nummorum: si autem magnus, antiquam destru- ctionem evenire ominatur: si unguis sinistrae manus, utilita- tem cum aliqua difficultate præfagiunt. *De uberibus*, si dextrum uber tremuerit, opus magnum præfagit, aliis bonum novum: sin autem sinistrum, divitias: si medium inter ubera, signum est bonarum cogitationum. *De pectore*, si pectus salierit, convi- vium omnibus denunciat, aliis verò adimplementum discursus, sed cum timore. *De ventre*, si venter saltaverit, diviti expen- sas facere ominatur, pauperi cibum, aliis bonum novum. *De alvo*, si alvus salierit, bona enunciat, aliis filios utiles: si dextra pars alvi, morbum brevi tempore narrat. *De iliaca saltatione*, si ilium dextrum salierit, peregrinationem portendit, aliis si sinistrum, bonum novum, aliis negotiationem præfagit. *De lateribus*, si dextrum latus palpiterit, diviti diuturnam paupertatem, seruo verò facultatem, & gaudium præfagit, aliis utilita- tem: si sinistrum, laboranti bonum statum in tota vita porten- dit. *De splene*, si splen salierit, infirmitatem nunciat. *De epate*, si epar tremuerit, iracundiam movet. *De ischio*, si dextra pars ischii quatitur, domesticorum aut amicorum rixam, aliis autem bo- num: sin autem sinistra pars, tristitiam narrat, aliis instabilitatem. *De spina*, si dextræ spinæ pars palpiterit, contumeliam: si verò sinistra, diviti convivium, pauperi laborem enunciat. *De mentula*, si mentula salierit, servum ad Venerem iturum por- tendit. *De testibus*, si dexter testiculus quatitur, filiorum & vi- ctus acquisitionem significat: sin autem sinister, convivium & utilitatem portendit. *De nasibus*, si dextra salierit, incorruptionem

nem

nem habenti negotiationem nunciat : si sinistra, diviti expensas facere, cæteris bonum : sin autem dextra junctura coxæ cum natibus salierit, motum cum felicitate præfagit, & bonum : si sinistra, remotionem tristitiæ, cæteris verò jucunditatis carentiam. *De inguinibus*, si dextrum inguen salierit, utilitatem : cæteris autem inimicos exuperare portendit : sin autem sinistrum, insidias : cæteris autem iter utile enunciat. Si ea *coxæ* pars salierit, quæ retro est, ignominiam præfagit : cæteris verò temporis temperiem : sin autem sinistra pars, insidias : cæteris verò facultatem prædicit. *De genibus*, si dextrum genu palpaverit, omnibus convivium, secundum alios facultatem prænarat : si sinistrum, injucunditatem maximam denunciat. *De anchi*, si dextra quatietur, injucunditatem : sin autem sinistra, bonum novum significat. *De tibus*, si dextra tibia salierit, rem. celeberrimam, aut longum iter denunciat : sin autem sinistra, viris tristitiam, mulieribus ignominiam : cæteris autem infirmitatem portendit. *De plantis pedum*, si dextra salierit, utilitatem & bonum : sin verò sinistra, victoriã in judicio, & bonum novum nunciat. Si pars interior dextræ *tibiæ* quatietur, facultatem : sin autem sinistra, amissionem, aut laboriosi quicquam narrat : si dexter tibiæ uter salierit, inopina bona omnibus enunciat : sin autem sinister, mercatoribus incepti itineris bonum finem significat. *De radio pedis*, si dexter radius salierit, tristitiam : sin autem sinister, iter cum lucro pronunciat. *De talis*, si dexter talus, curam, & injucunditatem : si sinister salierit, idem prædicit. *De calcaneis*, si dextrum calcaneum palpaverit, iter bonum : si sinistrum, idem : simili ratione secundum *Ægyptios concavum utriusq. pedis* iter bonum nunciat, secundum tamen alios concavum dextri pedis, iter utile, quo nullus ivit, enunciat. *De marginibus pedum*, si dextra margo, quæ Græcè *Pelma*, id est, planta pedis dicitur, salierit, iter : sin autem sinistra,

diuturnam peregrinationem prædicit. *De obliquo gressu*: si obliquum gressus dextri pedis, quod est in externa parte, palpaverit, debilitatem: si verò sinistrum, bonum novum nunciat. *De digitis*, si parvus digitus dextri pedis palpaverit, utilitatem: si secundus, negotium: si tertius, bonum, servo peregrinationem, virgini injuriam, viduæ convivium; si quartus, peregrinationem, servo verò & virgini damnum, viduæ morbum, aliis utilitatem: si autem magnus, peregrinationem enunciat: servo autem conditionem, virgini nuptias, viduæ hilaritatem. *De unguibus dextri pedis*, si ungues dextri pedis salierint, aut formicula verint, mollitiem, servo valerudinem, virgini ac viduæ nuptias prædicit. Si unguis parvi digiti, bonum: si secundi, peregrinationem bonam: si tertii, injucunditatem: si quarti, utilitatem: si quinti, bonum enarrat. Si parvus digitus sinistri pedis quatitur, bonum, servo mutationem heri, virgini injuriam, viduæ convivium: si secundus digitus, bonam peregrinationem, servo lætitiā, virgini consiliū, viduæ subjugationem: si medius, injucunditatem, servo utilitatem, viduæ injucunditatem: si quartus, utilitatem ab amicis comparatam, servo morbum, virgini nuptias, viduæ calumniam: si magnus, magna bona, servo facultatem, virgini futuras nuptias, viduæ utilitatem: si ungues sinistri pedis salierint, aut formicula verint, diviti injucunditatem, pauperi divitias, servo damnum, virgini consiliū, viduæ ignominiam pronunciat. *Si totum corpus* quatitur, nonnullas dies custodiri portendit, servo insidias non fieri, virgini periculum non fieri significat: hæ superstitiones sunt, quas in tremoribus, qui fiunt in corpore nostro, observavit Melampus Hierogrammateus, & post ipsum Antiphon, & Phimon augures, qui acceperunt ab Ægyptiis (ut scribit Melampus) quarum vanitatum nullam neq; veram, neq; coloratam causam tradiderunt, sed observationibus duntaxat supersticio-

stitiones huiusmodi probarunt, contra quas sequenti libro dilucidissimè insurgemus. Hactenus de tremoribus auguralibus.

## C A P. X.

*De rebus auguralibus, quæ propriis suis naturis  
ferunt augurium hominibus secundum  
historicos.*

POst hæc de rebus differendum est, quæ suis naturis bona vel mala auguria hominibus ferunt, quorum auctores fuerunt, Caras, Orpheus, Amphiarus, Tyresias Thebanus, Amphiction, qui primus etiam & ostenta, & somnia interpretatus est, nec omnia, quæ dicuntur, enarrare intendo, cum sint innumera, sed quædam duntaxat pro exemplis: cum nostra intentio non sit hæc probare, sed potius refutare. Illud tamen præsciendum est, Romanos tantam fidem auspiciis tribuisse, ut nec magistratus constituerent, nisi auspiciis monentibus, & propterea, ut Messala tradit, magistratus alii minores, alii majores habebantur, quòd minores minoribus, majores majoribus auspiciis crearentur, quod Gellius exponit lib. 13. c. 14. Festus Pompejus scribit, quinque genera signorum observasse augures, ex coelo, ex avibus, ex bipedibus, ex quadrupedibus, ex diris: ex avibus illas appellabant funebres, quæ in auguriis aliquid fieri prohibebant, oscinum augurium à cantu avium, oscines aves auspiciis ore facientes, ac supervacaneam dicebant, quæ ex summo acumine vocem emittebat. De avibus itaque tradidit ~~Aristoteli~~ <sup>libris</sup> de animalibus, Vultures augurales esse, nam (ut Plinius inquit lib. 10. c. 11.) triduo aut biduo volare eos ante, ubi cadavera futura sunt: experientia probatum est, quod in excidio Trojanorum ita factum meminit, Aristot. in auguriis, vulture

ture plurimum utebantur Romani, quia Romulo, in condenda urbe 12. apparuerunt, vel quia (ut Herodotus) vultur nulli nocet animali, quæ nisi cadavera comedit. Hylas augur tradit, augurales aves esse Noctuam, Bubonem, Afionem, qui otos dicitur, quòd anres habeat plumis eminentes. Picum arbores cavantem inter has, ut & Sanqualem & Immissulum, Massurius, & Mutius Romani enumeraverunt: quid verò sit sanquales, quidve immissulus, exponit Plinius lib. 10. c. 12. augurales aves sunt genus accipitrum universum potissimum Aquila, Corvus, Cornix, Palumbus, Cygnus, Gallus, Gallina, & insecta, quæ volant, ut Apes, Formicæ, Locustæ, de quibus Appion scribit diffusè. Vulture autem ideò in auguriis utebantur potissimum Romani, quia rarissimè conspicitur: non enim facile quispiam vulturis nidum offendit: derepentè enim & inopinatò advolat, quò fit, ut eorum aspectus semper aliquid significet. Arist. & Plin. semper in malum retulerunt. Romulus vulturibus 12. in condenda urbe in bonum usus est: simili ratione Hercules (ut scribit Herodotus) in omni re incipienda delectabatur vulturis aspectu, quem ex omnibus avibus, quæ carnibus vescuntur, justissimam judicaret. Verùm communis hominum opinio est, vultures in exercitiis gregatim volantes esse futuri excidii præfagium. Vultures enim & Aquilæ ultramaria cadavera sentiunt: altius enim volantes, quæ multarum montium obscuritate cælantur, ex alto conspiciunt, & non modò præsentia, verùm etiam (ut Plinius inquit) biduo aut triduo futura. Agmen etiam corvorum in futurum excidium rerulerunt augures. Apud Indos enim regio quædam est, quæ dicitur nunc pharcelos, ubi corvorum magna multitudo periiit: ad quam cum postea rediisset longè major multitudo, desolationem regionis & hominum significavit, qui ibi incolebant, destructionem. De Valerii Corvini corvo plana est historia:

ria:

ria: fuit enim Valerio bonum & felix augurium, adeò, ut ab eo diceretur Corvinus. Unde brevibus narrant omnes, qui de auguriis scribunt, avium, quæ vescuntur ex cadaveribus, ut Vultures, Aquilæ, Cornices, Graculi, Milvi, agmen cùm in aliqua regione apparuerit, ac per aliquot dies ibi sederit, esse futuri excidii signum. In superiore Suevia, prope castrum Rifum, magnum corvorum agmen sedit, ubi muros oppidi ac domorum corrodere visum est, non tamen illhinc recessit, quin loci dominus obierit, & alii plurimi, qui oppidum incolebant. Tradit Appion, Aquilam esse aliquando prosperam ac secundam, dum se hilarem ostendit, ex dextris in sinistrum advolans, præsertim ludens, ac in jucunditate manens: asserit enim eam sic volantem tantum boni in auguriis præstare, ut nihil supra addi possit: pugnam earum aquilarum, quæ apparuerunt in oratione Telemachi ad procos, Alithersis apud Homerum heros augurum sui seculi peritissimus, interpretatus est Ulysses rediturum esse in patriam, atq; procorum eadem significare. Aquilam cicurem anserem ex vicina aula unguibus correptum, ante currum (quo Telemachus vehebatur) dimittentem, Helena interpretata est, Ulysses longis erroribus circumactum, multisq; calamitatibus fatigatum tandem in patriam rediturum, & supplicio extremo procos omnes affecturum significare. Penelope aquilam, quæ ex insperato in 20. anseres, quos domi alebat, irruit; & omnibus interfectis avolavit, portendere interpretata est Ulyssis reditum ac procorum necem: Aquilam columbam unguibus ferentem, quæ à sinistro advolavit, Amphinomus procorum expectationi insidias non responsuras significare interpretatus est. Cùm Græci aquilam hinnulum pedibus trahentem, & apud aram Jovi Panompheo dictam dejicientem, in bonum omen accepissent, ita in animum jam in totum collapsum restituti sunt, ut Trojanorū magnam

D

eadem

eadem ediderint. Aquilam à sinistris advolantē, unguibus an-  
 guem ferentem, quæ nimis ei reluctabat, cum ipsam ad pullos  
 ferre nequiret, interpretatus Polydamas dixit, Trojanos naves  
 nō in torum excisuros portendere, & si Hector auguriis fidem  
 penitus abrogarit. Accipitris verò cujusq; rapinam in malum  
 retulit, quoniam (ut inquit) rapacitas ominatur proficiscen-  
 tem interimi ab hominibus prædonibus, quod si præda ab ac-  
 cipitris manibus evaserit, proficiscentem evadere putat Ap-  
 pion. Ex accipitribus Circon altero pede claudum, prosperri-  
 mi augurii nuptialibus negotiis & pecuniaræ rei, Plin. lib. 10.  
 cap. 13. esse scribit: circum Apollinis nuntium pedibus colum-  
 bam trahentem, quam medio itinere (quod à navi confecerat  
 Telemachus) deplumabat, Theoclymenus interpretatus, Te-  
 lemachi genus nemini in regno administrando apud Ithacos  
 cessurum prædixit: Triorchi verò, qui à numero testium dici-  
 tur, in auguriis principatum Phœmone dedit. Cornix (ut Plin.  
 inquit lib. 10. c. 12.) avis est garrula, quæ non dat augurium, ve-  
 rùm à quibusdam in auguriis laudatur. Corvi autem in auspi-  
 ciis soli videntur intellectum habere significationum suarum;  
 nam (ut Plin. inquit eodem loco) pessima eorum significatio  
 est, cum glutiunt vocem velut strangulati. Noctua, & Bubo  
 pessimum præbent augurium, potissimum in rebus publicis,  
 nam deserta incolunt, nec tantum desolata, sed dira etiam &  
 inaccessa, nec cantu aliquo vocali, sed gemitu canunt: Cap-  
 itolii cellam bubo intravit Sex. Papellio Istro. L. Pediano Conf.  
 propter quod nonis Martiis (ut Plin. meminit) urbs lustrata  
 est. De Gallinis verò & Palumbibus auguria non accipiuntur  
 præterquam ex ovis, Livia enim Augusta prima sua juvena,  
 Tiberio Cæsare ex Nerone grava, cum parere virilem sexum  
 admodum cuperet, hoc usà est puellari augurio: Ovum in sinu  
 fovendum atque deponendum nutrici per sinum tradidit, ne  
 interf-

interimeretur tepor, nec falso Augusta augurata proditur, Imperatoris inde foeta. Gallinam cum lauri ramusculo cecidisse ferunt in sinum Liviae Drusillae, quae fuit Imperatrix, & hucusque servatum est, ut ex ea lauro Imperatores fuerint laureari. De Cygno autem, augurium acceperunt nautae, ajunt enim hanc avem tranquillitatem portendere, quod Aemilius scribit, cum inquit:

*Cygnus in auspiciis semper laetissimus ales,*

*Hunc optant nautae, quia non se mergit in undis.*

Gallis verò Plinius lib. 10. c. 21. praebet auguria, habere enim ex se ostenta, & praeposteros eorum vespertinos cantus scribit. Cujus causam assignans, inquit, namq; totis noctibus canendo Boëtiis nobilem illam victoriam adversus Lacedaemonios praesagivere, ita conjecta interpretatione, quoniam victa ales illa non caneret. Enumeratur etiam à Romanis inter divina auguria, nam invenitur in Annalibus in Ariminensi agro M. Lepido, Qu. Catulo Cons. in villa Galerii locutum gallinaceum. Picus etiam in auguriis receptus est à Gentilibus, & propter hanc rationem à Saturni filio nomen sumpsit, qui eo in auspiciis utebatur, ferunt enim hanc avem aliquid divini habere, quòd in quacunq; arbore nidificaverit, clavum vel quicquid aliud fixum est, hærere diu non possit, quin statim excidat, ubi illa insederit. Refert Albertus, si foramen, in quo picus nidum pullòsve habuerit, pessulo obturetur, picus ducens herbam quandam, virtute & tactu illius cum pessulo deobturat foramen. In capite Praetoris L. Tuberonis in foro jura pro tribunali reddentis, sedit ita placidè, ut manu apprehenderetur, respondere vates, exitium imperio portendi, si dimitteretur: at si examinaretur, Praetori, qui illum protinus concepsit: nec multò postimplevit prodigium. Homerus Il. 10. eandem avem esse auguralem tradit, nam Ulyssi & Theseo filio exploraturis, quid



in Trojanorum castris ageretur, eniſit, Pallas trochillum avem, quæ felicem rei (quam ſuſceperant) evenum ſignificabat. Receperunt etiam & formicas in augurio, nam Midæ, cuius Imperio Phrygia fuit ſubjecta, puero dormienti formicæ in os grana tritici congeſſerunt: parentibus deinde ejus, quo ſum prodigiū tenderet, explorantibus, augures reſponderunt, omnium illum mortalium futurum ditiffimū, nec prædictio vana extitit: nam Midas cunctorum penè regum opes abundantia pecuniæ antecellit, infantiaq; incunabula utili Deorum munere donata, onuſtus auro atq; argento gazis penſavit. Inſuper & apes: cùm enim Platoni in cunis dormienti parvulo apes in labellis conſediſſent, reſponſum eſt illum ſuavitate orationis fore præclarum: ſunt & aliæ inſuper aves, quæ à veteribus in auguriis receptæ ſunt, ſed quoniam noſtra intentio non eſt auguria probare, ſed refellere, hæc de avibus auguralibus pro exemplis dicta ſufficiant. De beluis autē multa eſſent dicenda, verum pro exemplis pauca referamus, & primò de buſone: Eſt enim buſo rana terreſtris, nimia magnitudinis, hanc undecunq; & quomodocunq; obvium in auguriis feliciffimum habuerunt: Aprum etiam in malum augurium retulit Melampus, deſtructionem enim eorum, quæ agere intendit, proficiſcens: cùm obvius fuerit, præſagit. Serpentem in augurium acceperunt Romani, L. enim Sylla, qui proſectus in Samium adverſus Nollam duxit exercitum. Nollani autem extra mœnia cum copiis & præſidiis poſuerunt caſtra. Sylla igitur cùm Deos de pugna conſuleret, anguis ſubito apparuit, interrogato aruſpice, quid anguis ille portenderet? reſponſum eſt, ut magno animo caſtra hoſtium invaderet, quo factò victoria potitus eſt. Præterea apud Homerum ll. II. ſacrificantibus Græcis, ex ara proreſſit ſerpens in proximam platanum, in quo octo paſſeris pullos adhibita matre, quæ nona erat, aſſumpſit; augurium interpreta-

tus

tus est Cakhas, bellum, quod tunc adversum Trojanos Græci susceperant, in nonum annum producendum dixit. Lepus etiam in auguriis receptus est, in exercitu enim Xerxis, Persarum Regis, quem adversus Græcos in numerosum, ac propè incredibilem paraverat, equa leporem peperit, quod turpissimam regis fugam, quæ subsequuta est, significare voluit: est enim lepus timidissimum animal, in exercitibus semper fugam præfagiens. Receperunt & Gentiles in augurium felicissimum. Ignem & Flammam apparentem, ut de flamma Ser. Tul. quæ apparuit circa caput dormientis, & de flamma L. Mart. legitur apud Valerium lib. 1. quare cæteris omissis, quæ dici possunt, colligitur hæc divisio, quòd auguria alia sint, quæ suis naturis mala aut bona sunt, alia quæ possunt esse bona & mala, pro locis, sitibus, temporibus & intentionibus, quibus apparent & recipiuntur. Rursum & hæc alia divisio, quòd alia cædua auspicia sint, cum aliquid in templo excidit, alia devia, quæ aliquid fieri prohibebant, alia pedestria, quòd dentur à Vulpe, Lupo, Serpente, Equo, cæterisq; animalibus quadrupedibus, alia piacularia, quòd sacrificantibus tristitia portendebant, cum aut hostia ab ara effugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis quam oporteret, cecidisset, alia pestifera, quòd cor in extis, aut caput in jecinore non fuisset.

## C A P. XI.

*Opinio Plinii de auguriis, quæ possunt esse  
bona, aut mala.*

**P**linius, vir doctissimus, auguriis fidem præbet plurimam. Afferit tamen lib. 28. cap. 2. ostentis & auguriis vires inesse, quæ sunt in nostra potestate, quoniã ita ea valere credidit, pro ut à nobis accipiuntur, nam si accipimus in bonum, boni esse

prælagii: sin autē in malum, mali affirmat esse. Quod si ea non animadverterimus, nec in augurium acceperimus, neq; bona, neq; mala omina erunt, neq; enim diras aves, neq; ulla auspicia pertinere ad eos dicit, qui quamque rem aggredientes; observare se ea negaverint, hac ratione scribit in augurum disciplina esse, nulla auspicia pertinere ad eos, qui ingredientes observare ea neglexerint.

---

C A P. XII.

*Opinio Plutarchi Cheronei de auguriis.*

PLutarchus verò Cheroneus libro problematum, bona aut mala esse auguria affirmat respectu ad nos, situmq; nostrum: cū enim res augurifica nobis occurrerit, quam in augurium accipimus, situm debemus animadvertere, nam dextra omnia mala sunt, sinistra verò bona, causam affert ex eo, quia terrena ac mortalia, divinis ac cœlestibus contraria ac opposita existimarunt, quare putavit ea quæ nobis sinistra suat, Deos à dextris dimittere, quæ verò dextra, à sinistra, & cum ea, quæ Dii nobis porrigunt dextra, in bonum afferant, nam dextram dare est auxilium afferre, sit ut omnia, quæ nobis sinistro occurrunt, in bonū à Diis dentur: contra verò, quæ à dextris: dicitur autem res augurifica dextra bifariam, transitu & quiete: transitu quidem, ut si ex parte anteriori res augurifica è sinistris in dextrum transferit, aut à parte posteriori similiter, è sinistris in dextrū, utroq; enim modo dicitur dextrum omen. Tertio, si ex parte posteriori venerit, & per dextrum nostrum transferit in partem anteriorem, hoc etiam modo augurium dextrum dicitur: è contrario tamen dicitur augurium sinisterum, transitu videlicet & motu. Quiete verò, si augurificæ rei quiescenti nos obvii fuerimus, quæ quiescat aut in dextris, aut in sini-

in sinistris, aut si non quiescat, & venerit ad nos, & postea quieverit, aut in dextris, aut in sinistris, omnibus enim iis modis augurifica res dicitur dextra, aut sinistra, & semper cum fuerit sinistra, in bonum Plutarchus referendam esse arbitratur: cum verò dextra, semper in malum: aliter & Romani augures positionis differentias assignabant in cœlo: cum enim se in supremam curiæ veteris partem recepissent, vestem induti sacerdotalem, lituum, quæ virga erat elevata, manu tenentes, spacium in cœli ambitu, quem prospicerent, designabant quatuor differentijs, sinistra ab Oriente, dextra ab Occasu, antica ad Meridiem, postica ad Septentrionem, dicebantq; respectu harum accipi differentias auguriorum.

## C A P. XIII.

*Opinio Astronomorum de efficacia auguriorum.*

**A**stronomi verò augurificis rebus præbent significationes bonas vel malas ex sitibus cœli: volunt enim cum homini proficiscenti apparuerint, mox esse ei quiescendum, esseque circa ipsum describendum circulum, cujus centrum sit homo ipse, cui augurifica res apparet, tunc dicunt in descriptione hujus circuli quatuor esse puncta: Orrum, qui ad ortum mundi vergit, Occasum, Meridiem, & Septentrionem, qui pro sitibus mundi describendi sunt. Afferunt itaq; Orientem esse Solis, Occidentem Saturni, Meridiem Martis, Septentrionem Mercurii. Præterea partitiones esse quatuor, nam partitionem, quæ est ab ortu in meridiem, Veneri præbent, eam quæ est ab ortu in septentrionem, præbent Jovi, eam quæ est ab occasu in septentrionem, Lunæ, eam quæ est ab occasu in meridiem, Capiti Draconis tribuunt. Cum igitur augurifica res occurrerit,

aspi-

aspiciendum esse dicunt ad partem, in qua quiescit, aut versus quam movetur, nam si parte Jovis, vel versus Jovis partem quieverit, aut movetur, vel Veneris, vel capitis Draconis, vel Lunæ, in bonum referendum esse arbitrantur: sin autem versus partem Solis, aut Martis, aut Saturni, aut Mercurii quieverit, vel movetur, in malum omninò referendum esse censeat. Hæc Astronomi Ægyptii.

## C A P. XIV.

*De auguriis opinio juniorum augurum.*

**J**uniores verò reducerunt omnes res augurales in 12. superstitiones, quæ accipiuntur in respectu nostri, quarum prima dicitur Prosperitas: Est autem prosperitas, cùm quis exierit domum agendi quicquam causa, nam cùm huic, qui domum exit, homo, vel belua, aut avis, aut id genus in itinere primum occurrit, quæ ambulet aut volet, & si posuerit ante in sinistris, supra re agenda perficiendaq; bonum esse asserunt. <sup>2</sup> Superstitio dicitur Infortunium, ut si aliquis domū exierit rei agendæ alicujus gratia, & eundo inveniatur beluam, aut hominem, aut avem, aut id genus quiescere ante se in sinistris, malum esse signum supra re agenda affirmant. <sup>3</sup> Superstitio dicitur Fatum, nam si aliquis ambulando, aut stando, ut rem aliquam agat, videat rem augurificam, ut hominem, aut beluam, aut avem transire à sinistris in dextrum, ad quod cùm pervenerit, evanescet, portendere bonum in re agenda credunt. <sup>4</sup> Superstitio dicitur Fortuna, ut si quis invenerit rem euntem aut volantem, quæ reponat se ante in dextra eum videndo, qui augurium quærit, nam tale augurium bonum in perficienda re autumant. <sup>5</sup> Superstitio dicitur Infortunium, ut cùm quis invenerit rem augurificam quiescentem in dextris suis, prospici-

cientem eum, qui augurium quærit, nam hoc malum omen in re agenda dicunt. 6. Superstitio dicitur Utilitas, & est quando videris augurificam avem, feram, vel hominem post te, atq; te sequi, & ultra te transire, & priusquam perveniat ad te, vel tu ad eam, se repaufaverit alicubi, te videndo in dextris tuis, dicitur enim à junioribus utilitas, quoniam supra re agenda bonum signum est. 7. Superstitio Damnum dicitur, & est quando rem augurificam post te videris quiescere, aut stare, & quidem in tuis dextris, dicitur enim damnum, quoniam supra perficienda malum signū præbet. 8. Superstitio dicitur Cautela, & est quando post te videris rem augurificā, & antequam perveniat ad te, aut tu ad eam, alicubi quieverit, aut steterit, te videndo, nam sive à dextris, sive à sinistris quiescat, modò non ultra te transierit, bonum præſagit in re agenda. 9. Superstitio dicitur Infelicitas, & est quando videris rem augurificam prætereuntem te, alicubi tamen quiescere, aut stare, & quidem à sinistris, hæc dicitur infelicitas à junioribus, quoniam malum omē præbet rei agenda. 10. Superstitio Perfectio, & est quando res augurifica venerit à sinistris tuis, & transit in dextrum, quam nec quiescere, nec stare vides, sed admodum evanescere: dicitur enim perfectio, quoniam in re agenda bonum & perfectū signum est. 11. Imperfectio nuncupatur, & est quando res augurifica è dextris tuis in sinistrum transierit post tua terga, eamq; videris aut stare, aut quiescere: dicitur enim hæc superstitio imperfectio, quoniam est omen malum. 12. Denique contra fit è sinistris in dextrum, quæ dicitur Conclusio, quoniam in re agenda signum optimum esse affirmant. Hæ sunt duodecim superstitiones, quas in rebus augurificis veras esse autumant augures: servatis tamen intentione auspiciantis, & tempore auspiciandi, de quibus superius diximus.

STO

E

CAP.

## C A P. XV.

*Superstitiones Romanorum in auguriis.*

**E**Rant apud Romanos augures, ut Plutarchus affirmat in problematibus, aliæ superstitiones, quarum prima erat Deorum invocatio, non enim sacerdotes auguria cantabant, nisi Diis invocatis, ac humiliter exoratis. <sup>2.</sup> Erat ex parte personarum Invocantium, nam auguria, ut Plinius inquit lib. 8. c. 28. artem fecere apud Romanos, & Sacerdotum collegium, vel maximè solenne est. <sup>3.</sup> Erat ex parte qualitatis personæ, non enim personæ ulcus patientes recipiebantur inter sacerdotes augures, nec personæ, quæ morsum aliquem aut perturbationem in animo haberent. Nam cum res divinas eos tractare credebatur, tum Deorum mentem hominibus prodesse putabant, cum & liquido & integro animo sacerdotes essent. <sup>4.</sup> Superstitio erat ex parte avium auguralium, non enim aves morbidas aut ulceratas (propter eandem causam) recipiebant in auguria: non enim decet manca & mutilata servare pro divinis agendis. <sup>5.</sup> Superstitio erat ex parte Requisitorum, quoniam sacerdotes non captabant auguria, nisi luminaria accensa adessent, quoniam ita se habet lucerna ad sacerdotem, ut anima ad Deos, nam lux est velut is, qui intus est animus. Est & alia causa Plutarchi, quoniam aves augurales non consistunt flantibus ventis: ventos autem flare cognoscitur lucernis & luminaribus accensis. Metellus Pontifex Maximus, prudens, & civilis, post sextilem mensem Augustum vetuit auspicari, quòd adultis & perfectis avibus auspicando, antequam æstas advenerit, sit prudentiæ. Autumno autem aves partim inutiles sunt, partim morbidæ, partim pulli imperfecti, aliquæ etiam, propter anni tempus aliò devolant.

CAP.

## CAP. XVI.

*De numero auguralium objectorum, secundum eos augures, qui probabilius de auguriis locuti sunt.*

**Q**uemadmodum diximus, quatuor sunt in auguriis necessaria secundum Gentilium usum, objecta, quæ præter intentionem, hoc est, ex insperato auspicianti occurrunt, quæq; augurales res dicuntur: Persona auspiciens, cui ex insperato præter intentionem objecta hujusmodi se offerunt: Intentio auspiciantis, qua res augurales in augurium referuntur: Et tempus, quo occurrunt. Et quia de objectis auguralibus Gentiles supersticiosè locuti sunt, restat nunc dicere de talibus objectis, secundum eos, qui minus supersticiosè de illis locuti sunt, ut nihil prætermittatur in opinionibus veterum. Sunt autem hæc in 12. contenta capitibus, pro numero signorum, quæ in Zodiaco describuntur. Primum Caput est de ingressu Bestiarum in domum, sive bestię urbanæ sint, sive sylvestres, quum enim & præter consuetudinem, & præter intentionem bestia domum alicujus ingreditur, in augurificum objectum Philosophi reppererunt. <sup>2</sup> verò caput est Beluarum, quæ in itinere ex insperato nobis occurrunt. <sup>3</sup> est Vestimentorum combustio, cum ex insperato ex igne quasi ad ea advolante fit, ad hoc caput & fulminatio, & incensio domus, vel alterius rei reducitur. <sup>4</sup> est Mus corrodens aliquid, quod nobis jucundum est, ut Librum, Vestem, Aurum, præsertimq; id, in quo speramus, reduciturq; ad hoc caput, Lupus vorans nobis aut Bovem, aut Equum, Canis etiam vorans nobis aliquid, quod in cura erat, & Vulpis Gallinam aut Anserem furans, & cætera id genus. <sup>5</sup> est Domesticus sonitus, creditur enim in domo



ob sonos strepitusque, qui in ea audiuntur, Lemures esse, qui hos fecerint. <sup>6.</sup> est Avis, quæ in via itinereq; cadens, quasi impedita videtur: sæpius enim Principe aut Rege ambulante observatum est, Milvum in equitantium medio cecidisse, qui impeditus facile capitur, nonnunquam in domum aves venerunt, quæ ex insperato advolarunt, fueruntq; tandem manu captæ, & propterea ad hoc caput omne volatile reducitur, quod ex insperato manu capimus, reducimus insuper & ad hoc, Bubonem cantantem, Cornicem glocitantē, omnēq; volatile, quod ex insperato vociferatur. <sup>7.</sup> est Catus, qui præter consuetudinem foramen ingreditur cameræ, quem malum putant esse dæmonem, vel phantasma, reduciturque in hoc animal omne quadrupes, quod subiens speciem rei timorosa foramen intrat. <sup>8.</sup> est Candela, fax, aut id genus, cum mox sine apparenti causa extinguitur, quod à lemure fieri creditur. <sup>9.</sup> est Vulcanus, ut cum ignis murmurat: cum enim ignis murmurat, Gentiles Vulcanum loqui credebant. <sup>10.</sup> est Crepitus fortis ignis, cum præter intentionem occurrit, & quidem in magna vastitate, ad hoc caput, reducitur ignis, cum projicit scintillas. <sup>11.</sup> est Ignis, cum saltat præter rationem: creditur enim à laribus moveri. <sup>12.</sup> est subitaria Tristitia, moerorq;, qui præter rationem accidit, ad hunc reducitur phantasma nobis apparens, quo apparente tritari solemus, itemq; & id omne, quod ex insperato evenit, quo dolemus. Hæc enim 12. objecta, ut sufficiant pro exemplis, volumus: nam si alia contigerint, ad ea capita reducenda sunt, cum quibus majorem habent affinitatem, post hæc de causa, quæ res augurales movet ad auguria, secundum opiniones horum dicamus.

## C A P. XVII.

*De causa qua movet augurales res, ut nobis occurrant, mentemq; nostram, ut ominemur secundum Theophrastum & Themistium.*

**D**E ea verò causa, quæ augurifica objecta movet, ut nobis ex insperato se offerant, & ut nos ex hujusmodi ominemur occursum, variæ opiniones extiterunt. Theophrastus, quem lucidus doctor Themistius imitatur, moventem hujusmodi causam, non errantem intelligentiam esse dixit: nam quæ casu ac temerè nobis occurrunt, si in divinam intelligentiam referantur, à providentia evenire putarunt, & Themistius, & Theophrastus. Unde Themistius homines loqui futura arbitratur, etsi nihil intelligant eorum, quæ dicunt, quatenus ab ipsa intelligentia divina moventur. Est autem divina intelligentia, quæ non errans dicitur, aut mundi anima, quam Plato in Timæo ex Diis secundis ortam esse probavit. Avicenna verò ab intelligentia Lunæ: hæc enim movet, creatq; ea omnia, quæ sub Luna contingunt, potissimum ea omnia, quæ in bonum hominis ordinantur. Alii verò Deum esse dixerunt eam causam, quæ hæc movet, quam opinionem Valerius sensisse videtur, cum inquit, hæc non fortuito motu, sed divina providentia constare credendum esse. Pythagorici quoq; adeò ab ipso Deo evenire putarunt hæc, ut auguria esse Deorum voces verbaq; dixerint: nam cum Deus nostri curam habeat, rationi consentaneum est (ut Theophrastus inquit) ut nobis futuri quicquam prædicat, quod nobis bonum accelerandum, aut malum evitandum sit: hæc ratione Theophrastus omina, auguriaq; omnia,

voce verbaq; Dei esse affirmat cum Pythagoricis, per quæ Deus hominibus bonum aut malum futurum prædicit. Unde Themistius (ut Averroës narrat 12. Metaphysicæ) plures homines fuisse tradit, qui ab ipso Deo moti futura prædicunt, licet non intelligant quæ dicunt.

## C A P. XVIII.

*De causa movente augurifica, secundum  
Platonicos.*

**M**ercurius verò Trismegistus augurifica moveri à Dæmone asseruit, Porphyrius à Calodæmone, qui bonus genius dicitur, exposuitq; quòd cuiq; homini duo in custodiã dæmones assignentur: Cacodæmon quidē, qui ad mala: Calodæmon verò ad bona hortatur, quorum alter bonus, alter malus genius dicitur: cùm verò omen bonum aliquid sit, quo aut futurum malum evitemus, aut futurum bonum adipiscamur, sit ut à Calodæmone concitetur: placuit autem hæc opinio Plotino, Jamblicoq;, ut ex iis libris patet, quos de dæmonibus scripserunt.

## C A P. XIX.

*De causa movente augurifica, secundum  
Varronicos.*

**Q**uidam doctissimi viri ex Varronis Romani decretis se accepisse tradunt, augurifica moveri à Luna per 12. Zodiaci signa evagante: dicunt enim Lunam, & causam, & solam causam esse, quæ omnia, & augurifica movet, tum quia sola nobis inter stellas propinquissima est, solaq; (ut Astro-nomi dicunt) in iis, quæ repente fiunt, virtutem habet, tum vel  
maxi-

maximè propter sui velocitatem: ob hanc enim causam humidis fluidisq; præstat. At cum augurifica omnia confestim fiant, evenit, ut in talibus ipsa sola vim præstet.

## C A P. XX.

*Opinio Astronomorum Ægyptiorum de causa  
movenete auguria.*

**Æ**Gyptii verò non lunam, sed stellam errantem de quinq; planetis, quæ hora ominationis tenet in figura cœli nonam, aut decimam, aut horoscopum, aut septimam, aut quartam, aut tertiam domum asserunt auguria, mentemq; nostram movere ad auspicandum: est enim augurificus planeta, qui hora, qua accipimus res augurales in augurium, reperitur in domo cœli nona, verùm si nullus planeta in nona fuerit, is augurificus planeta erit, qui in decima, & si non in decima, qui in horoscopo, & si non in horoscopo, qui in septima, & si non in septima, qui in quarta, & si non in quarta, qui tandem est in tertia domo, planeta est, qui movet ad auspicia & nos & res ipsas augurales. Qualitas verò augurii proficiscitur ab ascendentis dominio, nec non à tali planeta: nam si ambo conjunguntur invicem aspectu aut corpore, ex auguriis nihil mali evenire putant. Ubi verò dominus ascendentis, atq; augurificus planeta nulla ratione junguntur, sed alter eorum cum beneficis configurationem habet, ex auguriis portenditur bonum. Sin autem cum maleficis, malum pronunciat, bonum verò aut malum, quod portenditur, secundum genus illius domus erit, in qua corpore conjunguntur, vel aspectu se mutuo aspexerint, nam si census domus fuerit, bonum vel malum in censu portenditur: sin autem fuerit domus 12. bonum vel malum in uxore,

uxore, & si domus fuerit s. in filiis, & in cæteris simili ratione bonum aut malum pronunciant.

## C A P. XXI.

### *De causa movente augurifica secundum minus superstitiosam causam.*

**D**icendum itaque (ut Porphyrius inquit) si eorum, quæ temerè fiunt, causa aliqua fingi poterit, moventem causam, quæ principalis est, ut Pythagoricis nonnullis placuit, esse Calodæmonem, quiq; & bonus genius dicitur: nam bona homini persuadet, quod quidem consensim Platonici affirmant: instrumentariam verò causam esse motum Lunæ per 12. cæli signa, quod & Varronici putant: videtur autem opinio hæc (licet superstitiosa) minus dissona cæteris. Nam (quemadmodum Astronomi fatentur) Luna vim habet in iis omnibus, quæ repentè fiunt, atq; ex insperato, qualia augurifica, ominaq; ipsa esse videntur. Calodæmon verò (ut libro de dæmonibus diximus) in hominis bonum institutum est, agit etiam per naturale instrumentum, cum sit homine potentior, vi autem cœlesti imbecillior, & quum agens pollentius paucioribus instrumentis (ut Aristot. inquit) utatur, fit ut dæmon per solum Lunæ decursum, tanquam per instrumentum omnia atque augurifica omnia moveat: quòd autem dæmon stellis utatur (Hebenragel nobis testis est) qui narrat cuiusdam regis filium natum esse eo die, quo quatuor planetæ conjuncti erant, eo in signo, quod in illius genitura horoscopabat, eo verò die puerum illum locutum esse, jacturamq; patris regis prædixisse. At consopum non est, puerum sic recenter ortum loqui potuisse, nisi vi dæmonis, quicæ cœli constellatione ad prædicendum utebatur, fortasse enim dæmon Mercurialis erat, nam in 8. libræ gradu,

qui

qui tunc horoscopabat, Mercurius præerat, Venus enim, Jupiter, Mercurius, & Mars in illo 8. gradu conjuncti fuerunt, nullus tamen eorum, nisi Mercurius, in tali gradu fines habebat, quare dæmon ille Mercurialis fuit: quod si ita est, dæmon qui nos custodit, utens solo motu Lunæ per 12. signa poterit omina atq; augurifica movere omnia, in bonum nostrum illa concitando: aspectus autem aut configurationes cæterarum stellarum, nec profunt, nec obsunt, cum in talibus vim nullam habeant. Hactenus de movente causa: ut verò præsens opinio intelligatur, ad exempla tabularum veniamus, quibus secundum motum Lunæ præsci supersticiosi homines utebantur.

## PRIMA TABULA.

*Bestia domum intrans significat,*

## LUNA.

<i>Aries</i>	<i>Litem atq; calamitiam fore.</i>
<i>Taurus</i>	<i>Advenire hospitem.</i>
<i>Gemini</i>	<i>In regione fieri morbos.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Rixas in civitate oriri.</i>
<i>Leo</i>	<i>Regimen aliquidq; magni evenire.</i>
<i>Virgo</i>	<i>Suasiones fieri astutiasq;.</i>
<i>Libra</i>	<i>Spem emergere.</i>
<i>Scorpius</i>	<i>Angustias contingere.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Iter viasq; fieri.</i>
<i>Capricornus</i>	<i>Gaudium atq; letitiam accidere.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Dolorem litemq; surgere.</i>
<i>Pisces</i>	<i>Bonam causam emergere.</i>

## TABULA SECUNDA.

*Belua in itinere obvians significat,*

F

LUNA.

## L U N A.

Aries	Patriarcham, aut Pontificem, aut Praefulem, aut primum sacerdotem mori.
Taurus	Intimationem bonam fieri.
Gemini	Prelium oriri.
Cancer	Promulgari magni quippiam.
Leo	Mutari vestimentum.
Virgo	Angustiam infurgere.
Libra	Moveri corpus de loco ad locum.
Scorpius	Mori inimicum.
Sagittarius	Intimationem in occultis fore.
Capricornus	Alumnus afferi.
Aquarius	Servum aufugere.
Piscis	Pluvias imbremq; fore.

## TABULA TERTIA.

*Incenfio alicujus loci. Dominus fulminatio. Vestimentorum uftio fignificat,*

## L U N A.

Aries	Nec bonum, nec malum.
Taurus	Gaudium letitiã ve evenire.
Gemini	Dimicare regnareq;.
Cancer	Opus perfici.
Leo	Adventum ejus qui te amat.
Virgo	Praviozem majoremq; malitiam exoriri.
Libra	Nova vestimenta adesse.
Scorpius	Gaudium letitiãq; emergere.
Sagittarius	Egritudinem accidere.
Capricornus	Lucunditatem de hofpiti.
Aquarius	Gaudium letitiã ve.
Piscis	Gaudium letitiã ve.

TABULA

## TABULA QUARTA.

*Canis vorans rem nobis gratam. Lupus vorans  
nobis bestiam. Mus corrodens aurum, vel  
quodvis nobis iucundum,  
significat;*

## LUNA.

<i>Aries</i>	<i>Iter futurum.</i>
<i>Taurus</i>	<i>Quod corripieris in verbis.</i>
<i>Gemini</i>	<i>Intimationem aliquam novam fieri.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Adventum hospitis.</i>
<i>Leo</i>	<i>Querelam petitionemve.</i>
<i>Virgo</i>	<i>Latitiam gaudiumve.</i>
<i>Libra</i>	<i>Id invenire quod desiderabatur.</i>
<i>Scorpius</i>	<i>Pecunias diminui.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Malitiam exoriri.</i>
<i>Capricornus</i>	<i>Amicum disjungi separariq.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Iter futurum.</i>
<i>Piscis</i>	<i>Gaudium latitiámve.</i>

## TABULA QUINTA.

*Streptus sonitusq; domus significat;*

## LUNA.

<i>Aries</i>	<i>Gaudium latitiámve.</i>
<i>Taurus</i>	<i>Evenire malum in dominio aut potestate.</i>
<i>Gemini</i>	<i>Pestem accidere.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Pecunia inventionem.</i>
<i>Leo</i>	<i>Adventum boni hospitis.</i>
<i>Virgo</i>	<i>Bonam enunciationem intimationemq.</i>

F 2.

Libra



<i>Libra</i>	<i>Bonam acceptionem intimationemq.</i>
<i>Scorpius</i>	<i>Aegritudinem.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Labores defatigationemq.</i>
<i>Capricornus</i>	<i>Angustiam super suos evenire.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Pecuniam ex animalibus.</i>
<i>Pisces</i>	<i>Bonum in dominio atq. potestate.</i>

## TABULA SEXTA.

*Corvus vel Cornix glocitans. Bubo cantans, vel  
quavis avis augurifica. Avis cadens in  
via, significat,*

## L U N A.

<i>Aries</i>	<i>Pavorem evenire propter latrones.</i>
<i>Taurus</i>	<i>Festinare ut regnum regatur.</i>
<i>Gemini</i>	<i>Sanguinis effusionem.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Futurum morbum.</i>
<i>Leo</i>	<i>Motum de loco ad locum.</i>
<i>Virgo</i>	<i>Amittere pecuniam.</i>
<i>Libra</i>	<i>Amicum agrotare.</i>
<i>Scorpius</i>	<i>Querelas lamentationesq. in domo.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Animalium mortem.</i>
<i>Capricornus</i>	<i>Dolorem fore in statu.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Litem nasci.</i>
<i>Pisces</i>	<i>Angustiam contristationemq. insurgere.</i>

## TABULA SEPTIMA.

*Catus aut Belua per foramen intrans significat,*

## L U N A.

<i>Aries</i>	<i>Amittere aliquid.</i>
--------------	--------------------------

Taurus

<i>Taurus</i>	<i>Emerere servum.</i>
<i>Gemini</i>	<i>Novam mala audire.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Finiri pralium.</i>
<i>Leo</i>	<i>Testimonium falsum insurgere.</i>
<i>Virgo</i>	<i>Egrotationem.</i>
<i>Libra</i>	<i>Pavorem propter latrones.</i>
<i>Scorpius</i>	<i>Gaudium letitiãve.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Nec bonum, nec malum.</i>
<i>Capricornus</i>	<i>Festinare jus.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Religiosum occurrere, aut fugere sanari agrotum.</i>
<i>Piscis</i>	<i>Bonum novum insurgere, aut evadere à periculo.</i>

## TABULA OCTAVA.

*Candela, aut Fax, aut Ignis, qui mox extinguitur, significat,*

## L U N A.

<i>Aries</i>	<i>Bonum aliquid lucrari.</i>
<i>Taurus</i>	<i>Patriarcham aut sacerdotem mori.</i>
<i>Gemini</i>	<i>Malum novum accidere.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Litem insurgere.</i>
<i>Leo</i>	<i>Pecuniam invenire.</i>
<i>Virgo</i>	<i>Adventum hospitis.</i>
<i>Libra</i>	<i>Festinum gaudium.</i>
<i>Scorpius</i>	<i>Timorem in dominio atq. potestate.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Magnum accrementum.</i>
<i>Capricornus</i>	<i>Casum comitis aut amici.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Nec bonum nec malum.</i>
<i>Piscis</i>	<i>Inimici casum.</i>

## TABULA NONA.

AUGUSTINA NIPHI,  
*Sonitus ignis significat,*

## L U N A.

<i>Aries</i>	<i>Inimici casum.</i>
<i>Taurus</i>	<i>Adventum hospitis.</i>
<i>Gemini</i>	<i>Pecuniarum accrementum.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Egrotationem oriri.</i>
<i>Leo</i>	<i>Accessum in potestate atq; dominio.</i>
<i>Virgo</i>	<i>Regalis honoris decrementum.</i>
<i>Libra</i>	<i>Nova audire.</i>
<i>Scorpius</i>	<i>Rixas contentionesq; in regione emergere.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Pavorem ex hominibus.</i>
<i>Capricornus</i>	<i>Mortem uxoris.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Vxorem parere feminam.</i>
<i>Pisces</i>	<i>Bonum in potestate atq; dominio.</i>

## TABULA DECIMA.

*Ignis crepitus significat,*

## L U N A.

<i>Aries</i>	<i>Nauseam, vomitumq; accidere.</i>
<i>Taurus</i>	<i>Faciem patris videre.</i>
<i>Gemini</i>	<i>Refrigerium accidere.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Latitiam &amp; refrigerium evenire.</i>
<i>Leo</i>	<i>Gaudium ex epistola.</i>
<i>Virgo</i>	<i>Longum iter.</i>
<i>Libra</i>	<i>Gaudium munusq;.</i>
<i>Scorpius</i>	<i>Labores defatigationemq;.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Audire magna.</i>
<i>Capricornus</i>	<i>Intimationem enunciationemq; futuram.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Dolorem in domo evenire.</i>
<i>Pisces</i>	<i>Lucunda audire.</i>

TABU.

## TABULA UNDECIMA.

*Ignis saltans significat,*

L U N A.

<i>Aries</i>	<i>Damnum &amp; litem.</i>
<i>Taurus</i>	<i>Iter facere.</i>
<i>Gemini</i>	<i>Ingredietur in potestatem.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Gaudium &amp; letitiam.</i>
<i>Leo</i>	<i>Murus accedere.</i>
<i>Virgo</i>	<i>Aegritudinem aut damnum.</i>
<i>Libra</i>	<i>Intimationem enunciationemq̄ malam.</i>
<i>Scorpius</i>	<i>Labores angustiāq̄.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Enunciationem fore.</i>
<i>Capricornus</i>	<i>Finem aut damnum.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Gaudium letitiāq̄.</i>
<i>Pisces</i>	<i>Nec bonum nec malum.</i>

## TABULA DUODECIMA.

*Tristitia ex insperato adveniens, aut phantasma  
apparens significat,*

L U N A.

<i>Aries</i>	<i>Nec bonum, nec malum.</i>
<i>Taurus</i>	<i>Adventum pecunie.</i>
<i>Gemini</i>	<i>Quod accusaberis.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Pavorem ex latronibus.</i>
<i>Leo</i>	<i>Vana audire.</i>
<i>Virgo</i>	<i>Bonum nuncium.</i>
<i>Libra</i>	<i>Accrementum pecunie.</i>
<i>Scorpius</i>	<i>Longum iter.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Dolorem de proximo.</i>

Capri-

<i>Capricornus</i>	<i>Mortem evenire.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Pavorem ex hominibus.</i>
<i>Piscis</i>	<i>Bonam salutem contingere.</i>

Plurima alia accidere possent exempla, sed hæc duodecim sufficient. Nam augur, qui ingenio pollet, hæc potest ad plurima alia deducere.

*Interpretatio  
harum tabel-  
larum.*

Erit igitur interpretatio, si Luna, tenente Arietem bestia, domum intraverit, litem atq; calumniam fore significat, sicq; de cæteris signis, atq; signorum significationibus dicito, semper enim tempore, quo auguriticum objectū nobis se offert, Lunæ locus inveniendus est. Et juxta illius naturam judicato, idem in omnibus talibus facito.

## C A P. XXI.

### *Tabella de saltibus, secundum Ægyptios Astronomos.*

Sunt qui saltus cujusq; particulæ corporis reducerunt ad 12. pro numero partium ac membrorum nostri corporis, quæ subjiciuntur signis, ut Ægyptii Astronomi, quorum sunt Perosiris, & Neocephus, nam caput Arieti, collum verò ac cervicem Tauro, humeros atq; brachia Geminis, Cancro pectus, latera & stomachum Leoni, ventrem Virgini, Libræ renes & vertebrae, Scorpio pudenda, coxas Sagittario, genua Capricorno, crura Aquario, Piscibus pedes tribuerunt. Si igitur saltit caput, vel aliqua capitis pars, totum hoc ad caput pertinere dixerunt, Arieti q; esse tribuendum, idq; in cæteris docuerunt. Unde si Luna tenente Arietem caput vel aliqua capitis particula saltierit, litem atq; calumniam fore significandum est. Si Taurum, adventurū hospitē, si Geminos, in regione fieri morbos, idq; in cæteris dicendum suo ordine. Est tamen annotatione dignum,  
Luna

Luna tenente idem signum, fieri posse, ut id membrum, ejusdemq; membri particula saliat non semel, sed bis, aut pluries, & idè omnes saltus eandem vim habebunt, donec videlicet ad aliud signum Luna se transferat: cùm enim eadem stet causa, idem effectus, ut stet, necesse est. Hoc autem non modò in saltibus observandum est, verùm etiam in cæteris auguriis, quæ in tabulis prioribus scribuntur.

Simili ratione de sternutamentis dixerunt, nam pro numero signorù ad duodecim omnia sternutamenta noctu diuq; contingentia reduxerunt. Verùm virtutem significandi à primo omnium sternutamentorum acceperunt, sive unum, sive plura eodem die nocteq; contigerint, quoniam donec Luna exierit signum, sub quò primum sternutamentum accidit, eandem vim habent, quippe cùm pro uno habenda sint, ut his tabulis annotabimus, quæ saltibus & sternutamentis inserviunt.



## TABELLA DE SALTIBUS ET STERNUTAMENTIS.

LUNA.	Caput.	Collum & Cervix.	Humeri & Brachia.
<i>Aries</i>	<i>Litem atq; calumniam fore.</i>	<i>Primum sacerdotem mori.</i>	<i>Nec bonum, nec malum.</i>
<i>Taurus</i>	<i>Advenire hospitem.</i>	<i>Intimationem bonam fieri.</i>	<i>Gaudium lætitudinemve evenire.</i>
<i>Gemini</i>	<i>In regione fieri morbos.</i>	<i>Pralium oriri.</i>	<i>Dimicari regna regis.</i>
<i>Cancer</i>	<i>Rixas in civitate oriri.</i>	<i>Promulgari magi quippiam.</i>	<i>Opus perfici.</i>

G

Leo

Leo	Regimē aliquidq; magnum evenire.	Mutari vesti- mentum.	Adventum ejus, qui te amat.
Virgo	Suasiones fieri a- stutiasq;.	Angustiam in- surgere.	Praviozem ma- joremq; malitiam exoriri.
Libra	Spem emergere.	Moveri corpus de loco ad locum.	Nova vestimen- ta adesse.
Scorpius	Angustias con- tingere.	Mori inimicum.	Gaudium lati- tiamve emerge- re.
Sagittarius	Iter viasq; fieri.	Intimationem in occultis fore.	Egritudinem ac- cidere.
Capricornus	Gaudium atq; la- tissiam accidere.	Munus afferri.	Inconditatem de hospite.
Aquarius	Dolorem litemq; furgere.	Servum aufuge- re.	Gaudium lati- tiamve.
Pisces	Bonam causam e- mergere.	Pluvias imbrēq; fore.	Gaudium lati- tiamve.

---

LUNA.	Pectus.	Latera & stomach <sup>o</sup> .	Venter.
Aries.	Iter futuram.	Gaudium lati- tiamve.	Pavorē evenire propter latrones.
Taurus	Quā corripieris in verbis.	Evenire malum in domicilio aut potestate.	Festinare ut re- gnam regatur.
Gemini	Intimationem a- liquam novam.	Pestem accidere.	Sanguinis effu- sionem.
Cancer	Adventum ho- spitis.	Pecunie inven- tionem.	Futurum morbu.
Leo	Querelam peti- tionemve.	Adventum boni hospitis.	Motum de loco ad locum.

Virgo

<b>Virgo</b>	Latitiam gaudi- umve.	Bonam enuncia- tionem intima- tionemq̄.	Amittere pecu- niam.
<b>Libra</b>	Adinvenire quod desideraba- tur.	Bonam acceptio- nē receptionemq̄.	Amicum agrota- re.
<b>Scorpius</b>	Pecunias admi- nui.	Egritudinem.	Quarelas lamē- tationesq̄ emer- gere in domo.
<b>Sagittarius</b>	Malitiam exori- ri.	Labores defati- gationemq̄.	Animaliū mor- tem.
<b>Capricornus</b>	Amicum disjun- gi separariq̄.	Angustiam super suos evenire.	Dolorem fore in statu.
<b>Aquarius</b>	Iter futurum.	Pecuniam ex a- nimalibus.	Litem nasci.
<b>Piscis</b>	Gaudium lati- tiamve.	Bonum in domi- nio atq̄ potestate.	Angustiam con- tristationemq̄ in- surgere.

<b>LUNA.</b>	Rebes & Vertebrae.	Pudenda.	Coras.
<b>Aries</b>	Amittere ali- quid.	Bonum aliquid lucrari.	Inimici casum.
<b>Taurus</b>	Emerere servum.	Patriarchā mori.	Adventum ho- spitis.
<b>Gemini</b>	Nova mala au- dire.	Malum novum accidere.	Pecuniarum ac- crementum.
<b>Cancer</b>	Finiri praelium.	Litem insurgere.	Egrotationem o- riri.
<b>Leo</b>	Testimoniū fal- sum insurgere.	Pecuniam inve- nire.	Accessum in do- minio.



Virgo	Ægotationem.	Adventum ho- spitis.	Regalis honoris decrementum.
Libra	Pavorem propter latrones.	Festinum gaudi- um.	NOVA audire.
Scorpius	Gaudium lati- tiamve.	Timorem in do- minio atq; pote- state.	Rixas contentio- nesq; emergere.
Sagittarius	Nec bonum, nec malum.	Magnum accre- mentum.	Pavorem ex ho- minibus.
Capricornus	Festinarejus.	Casū comitis aut amici.	Mortem uxoris.
Aquarius	Religiosū occur- rere, aut sanari æ- grum.	Nec bonum, nec malum.	Vxorē parere fr- minam.
Piscis	Bonum novū in- surgere.	Inimici casum.	Bonū in potesta- te atq; dominio.

LUNA.	Genua.	Crura.	Pedes.
Aries	Nauseam vomit- umq; accidere.	Damnum & li- tem.	Nec bonum, nec malum.
Taurus	Faciem patris vi- dere.	Iter facere.	Adventum pecu- niae.
Gemini	Latitiam & re- frigerium.	Ingredietur in potestate.	Quod accusabe- ris.
Cancer	Gaudium ex epi- stola.	Gaudium & la- titiam.	Pavorem ex la- tronibus.
Leo	Longum iter.	Munus accedere.	Vana audire.
Virgo	Gaudiū munusq;.	Ægritudine aut damnum.	Bonū nuncium.
Libra	Labores defati- gationemq;.	Intimationē nul- lam.	Accrementū pe- cunie.

Scorpius

<i>Scorpius</i>	<i>Audire magna.</i>	<i>Labores &amp; angustias.</i>	<i>Longum iter.</i>
<i>Sagittarius</i>	<i>Intimationē futuramq; enunciationem.</i>	<i>Enunciationē fore.</i>	<i>Dolorem de proximo.</i>
<i>Capricornus</i>	<i>Dolorē in domo evenire.</i>	<i>Finem aut damnum.</i>	<i>Mortem evenire.</i>
<i>Aquarius</i>	<i>Iucunda audire.</i>	<i>Gaudium letitiamq;.</i>	<i>Pavorem ex hominibus.</i>
<i>Piscis</i>	<i>Refrigerium accidere.</i>	<i>Nec bonam, nec malum.</i>	<i>Bonum satis contingere.</i>

Hæc sunt quæ comperta habemus de superstitiosis auguriis, quæ idè prolixè explicavimus, ut intelligant omnes, qui libellum hunc legent, omnia huiusmodi auguria esse superstitiosa atq; reprobanda, ut proximo libro dilucidè patebit.



## DE EJSDEM DE AUGURIIS, LIBER II.

### PROOEMIUM.

**S**UPEREST modo de auguriis ea dicere, quæ vera & certiora sunt, nam quæcumq; hucusq; diximus, non ex nostra, sed ex aliorum opinione scripsimus: fuerunt enim plurimi tum philosophi, tum viri sanctissimi, qui nullam fidem auguriis tribuerunt. Vnde Cicero, qui Nonio optimam spem habere licere dicenti, quòd septem Aquila in castris Pompei essent captæ, deridendo has vanitates, inquit: Rectè moneres, si adversus picas nobis pugnandum foret. Et Labieno in castris Pompei divina-

tionibus auguriiq; innixè dicenti, Pompejum superaturum, deridens respondit Cicero, eos hac spe ductos castra nuper amisisse. Varro autem dixit, Deos ociosos ac feriatos fore, si sua consilia cornicula crederent, aut corvo hominibus indicanda, & alibi nò solum ociosos asserit Deos, sed sordidissimos fuisse, si in jecorum, & viscerum sterquilinio sua occultassent consilia, hominibus ab insanis sacerdotibus manifestanda; ut optabilius fuerit valuisse apud majores Ciceronis pro A. Cluentio sententiam; pietate, & religione, & iustis precibus Deorum mentes, non contaminata superstitione, neq; ad scelus perficiendum casis hostiis posse placari, ubi enim fuisse Deos alibi quàm in stercore existimabimus: huius vanitatis exemplum nobis prabet Tullus Rex, qui, cum Iovem is superstitionibus sollicitasset, fulmine cum tota domo deflagavit. Phavorinus, Gellius, Boëtius, & alii plurimi, tum Peripatetici, tum Platonici, non solum has vanitates contempserunt, sed acerrimis argumentis reprobaverunt. Quare argumenta, observationesq;, quibus confutatur superstitiosa auguria, primo nobis differenda sunt. Deinde exponendum, quibus auguriis fides prestanda sit, quibus verò non, aut usquequàm eis credendum sit, initio nobis sumpto à nostra observatione.

## C A P. I.

## Observatio auctoris, qua reprobantur superstitiosa auguria.

**M**T cum nulla alia ratione reprobari possint efficacius, ea, quorum fides ab observationibus suscepta est, huiusmodi vanitates observationibus reprobandæ sunt, è quibus in mentibus hominum locum habuerunt, quia enim M. Marcello, cum periit ab Annibale, caput jecoris defuit, & G. Mario, cum immolaret Uticæ, & C. Principi Kalendis Januariis, cum iniret consulatum, quo interfectus est, Claudioq; successori ejus, quo mense interemptus est veneno, Pyrrho Regi, quo

quodle perit, præcisa hostiarum capita etiam defuerunt, idem extis fidem tribuerunt. Divo etiam Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suæ die victimarum jecinora replicata intrinsecus ab una fibra reperta sunt, responsumq; duplicaturum intra annum imperium. Gemina item Divo Augusto apparere jecinora, quo die apud Actium vicit. Ex iis igitur, atq; similibus observationibus fomentum insanix tantorum virorum emerfit, quod tot ac majoribus pluribusq; observationibus factis reprobatur. Q. enim Mutius Scævola, inter primarios omnium ætatum viros augur eminentissimus, cum in templo Vestæ (quo nihil in urbe Roma habitum est sanctius) aram ipsam amplecteretur, à Syllæ carnificibus præter opinionem, quam ipse de suis auguriis habebat, interfectus est. Nero quoq; cum omnibus vanitatibus, per quas futura prædicuntur, nimium hæreret, nunquam tutus fuit à fine, quem non sperabat per auguria, quibus confidebat. Possem infinita exempla inducere eorum Romanorum, qui his vanitatibus inhæserunt, quorum actiones finesq; non evenerunt, ut per auguria à vatibus fuit interpretatum, sed bona fronte supersedeo. Et ea aggrediamur, quæ à nobis sunt observata: in juvena enim (quæ ætas est curiosissima) tabellas omnes quas annotavimus, diligentissime perquisivimus, ut tabellam de sternutamentis, & tabellam de saltibus, cæterasq; omnes, & eas plerumq; falsas reperimus, perrarò autem veras. Quæ ratio docet, significationes eorum auguriorum, quæ in illis scribuntur, casu evenire, qui est de contingenti raro. Sternutamenta, saltus, resq; naturales, quas propriis naturis creditum est ferre nobis auguria, superstitiosa sunt & vana, nos enim (cum illa sæpissimè observaremus) nunquam aliquid veri invenimus. Observationes Plutarchi Cheronei (qui per situs auguria definivit) non modo vanæ sunt, verum etiam fabulosæ, nos enim cum non semel il-

las ex-

las experiremur, nullas veras invenimus, 12. illæ superstitiones, quibus juniores augures auguria determinaverunt, ridiculæ sunt, cum nec ipsi nec nos unam comperimus veram. Observationes Plinii, non vanæ tantum, sed similes insomniis sunt, quæ motu humorû imaginariæ virtuti repræsentantur. Astro-nomicæ observationes etiam falsæ sunt, quas omnes, cum nos omni diligentia consideramus, supersticiosas ac vanas sicuti cæteras invenimus. Superstitiones Romanorum nullam habent rationem, sed fuerunt à sacerdotibus inventæ, ut per illas viverent, hominum enim genus (ut Aristoteles inquit) artibus & rationibus vivit. Si igitur observationibus innitendum est, nos testamur multis temporibus ea observasse, quæ scripsimus, nihilq; veri reperisse, si quid tamen veri reperimus, in hoc libro 2. exponemus: verum quia aliquis negare posset observationes nostras, asserendo vel non debite, vel non suis temporibus, vel non requisitis omnibus esse factas, idè post hujusmodi observationes ad rationes accedendum est, quibus doctissimi viri has vanitates refutaverunt.

## C A P. II.

*Argumentum Peripateticorum, quo repro-  
bantur auguria.*

**I**Nsurgamus igitur primò contra hujusmodi superstitiones, Argumentis Peripateticorum, nam si auguria futura enunciant, aut quia illorum, causæ, aut quia effectus eorum sunt. Sed constat, nec causas, nec effectus auguria futurorum esse, non igitur auguria futura prædicunt, nisi temere: videmus enim Medicum ex effectibus futura prædicere, Astronomum vero per stellas, quæ effectuum sublunarium causæ sunt. At cum auguria effectuum futurorum causæ non sint, nec illorum effectus,

aus, iure sit, ut temerè per auguria futura prædicantur. Accedit ad hæc, quòd insomnium non magis rei futuræ causâ est quàm augurium, utrumq; enim ad effectum futurum per accidens comparatur. Sed secundum Arist. de somno, insomnium rei futuræ per accidens causâ est: accidit enim me somniantem, Platonem venire ad me, ut Plato veniat, veluti accidit me exiunte domum, ut corruscatio fiat, non enim corruscationis exitus à domo causâ aut effectus est. Ad hæc imaginatio, qua imaginor amicum venire, non magis causâ aut effectus est, ut amicus veniat, quàm cantus Cornicis effectus aut causâ est, ut hostis veniat. Utriusq; enim ad utrumq; connexio est accidentaria, & fortuita, quare si me imaginante amicum venire, casu amicus venit, ita Cornice cantante, casu hostis accedit. Auguria igitur per accidens prædicere videntur futura, veluti (ut Aristot. inquit) somnia ipsa.

## C A P. III.

*Evasio quorundam insanorum.*

EVadunt verò quidam insani ab his rationibus, dicentes, auguria (ut auguria casu prædicere futura) ut auguria facta sub tali Lunæ motu, vel tali constellatione, per se futura prædicere, quoniam licet auguria, ut auguria, nec causæ, nec effectus futurorum sint, tamen auguria ut facta sub hoc aut illo Lunæ decursu, esse futurorum coeffectus, quatenus augurium ipsum sub hac vel illa Luna factum, & futuri ipsi effectus, quos portendit, ab eadem causâ sunt, ut ab eodem Lunæ decursu, veluti licet urina ignea nec causâ nec effectus sit febris cholericâ: quia tamen ignea ipsa urina & febris cholericâ ab eadem causâ sunt, ut ab humore cholericâ, idèò ignea ipsa urina portendit

H

febrem

febrim cholericā, & e converso febris cholericā ignem ipsam  
urinam.

C A P. IV.

*Reprobatio hujus evasione.*

**S**ed hæc evasio frivola videtur, nam sic poterimus omnem  
superstitiosam divinationem probare, dicerem enim Geo-  
mantiam, Pyromantiam, & cæteras tales esse veras, quoniam  
licet puncta sic figurata, nec effectus nec causæ sint futurorum,  
ut puncta sic figurata, tamen projecta sub hac vel illa Luna  
erunt coeffectus futurorum: eadem ratione & sortes effica-  
ciam habebant, quoniam semper dicerem, et si non causæ aut  
effectus sint futurorum, esse tamen coeffectus ab eadem Luna  
evenientes. At constat sortes ab omnibus esse reprobatas, cum  
temerè & non per se futura prædicant.

C A P. V.

*Argumentum Divi Thomæ, quo auguria  
& sortes refutantur.*

**A**uguria & sortes, & cætera divinatoria sanctissimus Do-  
ctor Thomas perpulchrè reprobavit eo libello, quem de  
fortibus inscripsit: argumentatur enim, majorem connexio-  
nem habent stellæ cum actibus humanis, qui ab intellectu &  
voluntate nostra proficiuntur, quàm auguria, sed ex stellis  
non proficiuntur humani actus, nisi contingenter, temereq;  
igitur non possunt prædici actus humani per auguria, quæ cum  
illis actibus connexionem contingentem habent, quòd autem  
ex ipsis stellis humani actus necessariò non eveniant, testis est

Prolopius, qui sapientem stellas exuperare affirmat, & libro centum enunciatorum, & proœmio Apotelesmat. Quare nec ex auguriis humani actus, nec ut à causis, nec ut à signis necessario proficiscuntur.

## C A P. VI.

*Phavorini & Plinii argumentum adversus auguria.*

**P**Havorinus verò fidem non esse divinaculis adhibendam, apud Gellium hoc pacto argumentatur: aut enim (inquit) adversa ventura dicunt, aut prospera: si prospera, & fallunt, miser fies frustra expectando: si felicia promittunt ea, quæ ventura sunt, expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudii fructum spes tibi jam defloraverit: si adversa dicant, & mentiantur, miser fias frustra timendo, si non mentiantur jam inde ex animo miser fias, antequam è facto fias. Insuper (ut Plinius inquit) nec liberi, nec ingenui hominis est vaticiniorum suspicionibus addici, aut superstitionibus divinatorum sollicitari. Unde & in sacris historiis monitum est à domino, non esse vestrum noscere tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, nec injuria quidè, nam si aliqua futura necessarium fuerit noscere pro publico bono generis humani, aut pro privato alicujus personæ, hæc divino numine fidelibus innotescunt.

## C A P. VII.

*Prima dilucidatio de auguriis.*

**S**ed quoniam (ut Aristot. inquit libro de somno) nihil apud gentes famigeratum, ac probabile, omni ex parte falsum est



habendum, idè sic de auguriis dici potest, quemadmodum de insomniis opinatur Aristot. quòd videlicet auguria alia divina, alia naturalia, alia verò casu ac temerè sint: divina apud Romanos Græcosq; ipsos plurima fuerunt, ut canem allocutum fuisse, & serpentem latrasse, cum pulsus esset à regno Tarquinius. Et bovem, ut proditur veterum monumentis, locutum esse. Præterea arbores ( ut C. Epidius inquit ) fuisse locutas, paulò ante mortem Cæsaris, equorum armenta comperita sunt pabulo abstinere, ubertimq; flere, ante mortem Caligulæ. Simulacrum Jovis Olympiæ tantum cachinnum repente edidit, ut machinis tabefactis, opifices diffugerint, M. Lepido, & Q. Catulo, Conf. in villa Galerii locutus est gallus. C. Volumnio, & Servio Sulpitio Conf. Bos mugitu in humanum sermonem converso locutus est equus, cui nomen erat Xanthus, apud Homerum Il. 19. loquens, dixit: Patroclum sua ignavia non intercidisse, sed Deorum voluntate ac fato, quibus nullo pacto sui corporis dotibus obviam ire poterat. Puer infans semestris in foro boario triumphū proclamavit, C. Hostilio Mancino in Hispaniam ituro, talis vox sine authore ullo pervenit ad aures, Mantinæ mane. Ante paulò quàm Augustus Imperator factus esset, bos in suburbano Romæ ad arantem locutus est, frustra se urgeri, non enim frumenta, sed homines brevi futuros. Hæc & id genus divina auguria putavit antiquitas. Viri autem vita atq; doctrina sanctissimi, si aliqua essent, quæ divina auguria fas esset dicere, ea signa, divina auguria asserent, quæcunq; divinam causam habere possunt, ceu columba, quæ apparuit discipulis Domini, augurium fuit eis ad futurum bonum, & Magis stella, quæ apparuit, augurium fuit ad tutum iter, atq; rectum. Petro quoq; binus galli cantus augurium fuit ad conversionem in salutem, & quàm plurima hujusmodi ( si ea fas est auguria nuncupare ) hæc enim numine fieri concedimus.

mus.

mus, cum pro communi aut privato bono futura prænoscere necessarium est. Innuitur autem hæc fieri numine per illud quod dicitur libro sapientiæ cap. 7. Attingit à fine usq; in finem fortiter, & disponit omnia suaviter, numine etiam non solum corpora, sed hominum mentes ad proprias actiones moventur, per illud quod in Psalmis dicitur: Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Numine etiam voluntates ad desiderandum, atq; ad agendum accenduntur, veluti magister gentium tradit ad Philipenses cap. 2. cum inquit: Deus est, qui operatur in nobis, & velle ac perficere bona voluntate. Et apud Esaiam cap. 26. Omnia opera nostra operatus es nobis: quæ ratio docet divina auguria esse (si fas est divina auguria appellare) non ea quæ apud Romanos divina dicebantur, quoniam illa fortasse à dæmonibus erant, sed ea, quorum causa est numen, de quibus in sacris literis quærendum est. Naturalia verò, quibus Medici aut Philosophi naturales utuntur ad aliquid futuri significandum, & dicuntur naturalia, quoniam eorum assignari potest aut humana aut naturalis causa, humana quidem, ut si esset subitarius avium volatus ex aliquo loco, hoc enim augurium esse posset ad significandum nobis eo loco latere insidias, è quo aves subito volaverunt, cujus causa est assignata ex nostra humana industria. *Naturalis verò, ut si quis gloriante frequenter cornicula mox futuram prænunciet pluviam, ex naturali causa potest auspiciari, quoniam naturali quodam instinctu ex impressione corporum cælestium producto moventur pro ratione dispositionis aeris ad temporum cognitionem, ut necessarium est suis naturis, secundum illud Hieremie cap. 8. Mibvs in cælo cognovit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui.* Præterea si Medicus binum sternutamentum pro augurio accipiat, dicatq; agrotum à mortis periculo liberari, ex naturali causa hoc dicere potest, unum enim casu esse potest: plura verò

Quæ auguria  
probentur?

duobus rheumatis impulsus, duo autem virtutis robur arguunt. Ad hæc in iram assuetam ægrotum redire pro augurio bono à Medicis accipiuntur, in ægrotis: *Præfagit enim ægrotos ad naturales dispositiones reverti.* Insuper si Medicus saltum pro augurio sumat ad significandum accidentia animæ, ut gaudium, iram, vel tristitiam, & id genus, non est præter rationem naturalem, quoniam, ut Avicenna inquit lib. 3. Fen. 3. tract. 1. cap. 18. Saltus aliquando evenit ex animalibus accidentibus, nam motus spirituum, qui est in animalibus passionibus, interdum convertit humores in ventositates, quibus fit saltus membri. Saltus etiam propter hanc causam enunciat apoplexiam, & cum perseveraverit in membrana cooperiente ventrem, præfagit melancholiam, & epilepsiam. Cum verò perseveraverit in facie, torturam, cum & in hypochondriis, apostema præfagit. Quare si quis tremorem pro augurio sumat ad significandum hæc, non præter naturalem rationem, accipiet. Si etiam Meteorologicus tres soles sumat pro augurio ad significandum pluvias ingentes, non præter rationem naturalem facit: simili ratione si tres Lunas, clypeumq; ardentem in cælo, armorum crepitus, tubarum sonitum audiri, lacte pluere & sanguine, ut M. Atilio, & C. Portio, Consulibus. Item carne, ut L. Volumnio, & Servio Sulpitio, Consul. Rursum ferro in Lucanis paulò ante quàm M. Crassus occideretur à Parthis, ad significandum effectus naturales Meteorologicus pro augurio accipiat, non errat, quoniam naturales causas habere potest. Præterea si quis vultures biduo aut triduo volare in exercitu in augurio accipiat ad significandum exercitus interemptionem, non errat, si verum est quod Plinius inquit lib. 10. Vultures cadavera futura & præsentia præsentire. Sunt tertio auguria, quæ & nugatoria, & superstitiosa, & casualia dicuntur, verbi causa, si quis stertumentum acceperit pro augurio ad significandum veritatem

tem eorum, quæ quis dicit, aut evasionem parati periculi, superstitiosè, nugatoriè, & casu verum prædicit. Augures enim sternutamentum pro augurio accipiunt, ad multa significandum, præsertim (ut Albertus inquit) ad significandum duo, veritatem videlicet ejus dicti, cui sternutamentum intervenit, & evasionem parati periculi, ut puta cùm aliquis sustinet insidias ab aliquo, præsertim si bis sternutaverit. Binum enim sternutamentum magnitudinem virtutis significat, quæ non esset, nisi homo, qui bis sternutat, cœlestibus virtutibus esset adjutus, veluti critica dies non esset, nisi virtute cœlesti esset roborata. Virtute verò cœlesti fovente, dictum expletur, rei; adæquatur, & sic erit verum. Simili ratione augurium est ad significandum evasionem parati periculi: *Nam qui virtutibus cœlorum roboratur, non potest à terrenis & sublunariis devinci.* Ego verò arbitror omne illud, quod significat sternutamentum, præter evasionem infirmi, esse nugatorium, superstitiosum, & casuale. Casuale quidem, quoniam casu est, aliquo sternutante, ut evadat à periculo parato per insidias, quoniam præter intentionem sternutantis, & eorum qui paraverunt insidias. Nugatorium verò, quoniam si quis accipiat sternutamentum, ad significandum veritatem dicti, vel evasionem parati periculi, re utitur ad significandum id, ad quod virtus rei non se extendit, non enim virtus sternutamenti potest ad hæc se ostendere. Tale autem dicitur nugatorium, ut Augustinus inquit lib. 2. de doctrina Christiana. Superstitiosum deniq;, quoniam importuna ineptaq;, & non vera religione observatum (nam ut Gellius inquit) *omnis importuna ineptaq;, religio superstitio dici potest:* Superstitio quid? propter hanc causam Deut. 18. dicitur: Non inveniatur in te, qui iustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & observet somnia atq; auguria, nec sit maleficus, aut incantator, nec Pythones consulat, nec divinos, &

que-

quærat à mortuis veritatem. Simili ratione dicendum est de  
 laku, & volatibus & cantibus avium, cum enim accipiuntur  
 ad significandum aliquid ultra virtutes proprias, superstitiosè,  
 nugatoriè & casu accipiuntur. Ex iis perspicuum est, quibus  
 auguriis sit credendum, quibus vero non. Divinis enim ac na-  
 turalibus si quis crediderit, nec vanus, nec nugatorius, nec su-  
 perstitiosus est, at qui auguriis credit, quæ non nisi casu signifi-  
 cant, hic vanus est superstitiosus & nugatorius.

## C A P. VIII.

### *Dilucidatio vera causa auguriorum super- stitiosorum.*

**E**X iis patet veram causam superstitiosorum auguriorum,  
 esse dæmonem, nam ut Augustinus inquit lib. 2. quem de  
 doctrina Christiana scripsit, omnes artifices hujus vel nugato-  
 riæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate ho-  
 minum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosa amicitia  
 constituta penitus sunt repudianda & fugienda Christiano.  
 Dæmones enim talibus rebus efficaciam aliquando præstant,  
 ut vanitatibus animos hominum implicent, & propterea dici-  
 tur in Psalmis: Beatus vir, cujus est nomen Domini spes  
 ejus, & non respexit in vanitates, & insanias  
 falsas. Hactenus de vera augurio-  
 rum causa.



## CAP. IX.

*Reprobatio causa assignata à Plinio, per  
quam auguriis fidem presta-  
bat.*

**P**atet insuper exiis, intentionem nostram, qua augurium in bonum vel malum referimus, non esse causam auguriis, ut vera significant, quemadmodum putavit Plinius, nam sic & imaginatio esset causa salutis, vel damni, quod falsum est, non enim potest virtus accommodata uni corpori, secundum Peripateticos esse vera causa alicujus in altero corpore, nisi forte causa excitans, ut patet de equis, quorum altero mingente, alter mingit: imaginatio enim quâ quis imaginatur adventum febris, & febris venit, non est causa, nisi per accidens illius, at imaginatio quâ quis ambulando per angustum trabem imaginatur cadere, & cadit, causa est casus, nam casus ille proficiscitur ex timore, cujus causa est imaginatio casus. Sed timor res est in nobis. Cùm igitur imaginaria vis nostra nec supra aves, nec supra beluas, nec supra id genus auguria, virtutem habeat, ut nec illa ad auguria pertineat.

## CAP. X.

*Reprobatio causa Plutarchi & juniorum, per  
quam auguriis fidem pre-  
stabant.*

**P**ropter eandem causam patet vanitas causa, per quam Plutarchus fidem præstabat auguriis: cùm enim dextrum & sinisterum relationes sint, quibus augurium dicitur dextrum,

I

aut

aut sinistrum, non ex parte augurii, sed ex parte nostri, fit ut causa hæc vana, nugatoria & superstitiosa sit, non enim in relationibus virtus est, se extendens ad hujusmodi significationes, cum nec causæ talium sint, nec effectus. Præterea quod est in comparatione ad animal, non est in se dextrum, nec sinistrum, & quod non est in se dextrum, vel sinistrum, non potest esse in se bonum vel malum. Quare nullum augurium bonum, aut malum est, nisi per accidens, ac temerè, quatenus accidit transire à dextro in sinistrum, ut negocia perficiam, quoniam plerumq; oppositum observavimus, & per idem reprobatur juniorum causa, ut consideranti patet.

## C A P. XI.

*Reprobatio causa eorum, qui ex sitibus cæli auguriis fidem præstant.*

**P**ROPTER eandem rationem reprobatur eorum causa, qua ex situ cæli auguriis fidem præstabant. Nam auguria bona sunt, quoniam versus eandem partem cæli, in qua beneficæ stellæ vigent, proficiscuntur, & mala, quæ versus eandem partem, in qua maleficæ vim habent: omne igitur quod versus eandem partem moveretur, esset bonum, in qua beneficæ vim habent, malum verò versus eam, in qua maleficæ. At contrarium sæpius observavimus, quippe cum sæpissimè vidimus beneficis motibus propriis inerrare ad partes, ubi prius maleficæ erant, & è contrario etiam, & tamen auguria, quæ vi cæli bona esse debebant, mala esse observavimus, & quæ debebant esse mala virtute cæli, vidimus bona esse. Quod non est ob aliud, nisi quia auguria nullam per se significationem habent,

nisi

nisi temerè, ac casu. Ex eisdem patet error eorum, qui auguriis fidem præstant propter stellam, quæ præsumt domo non è tempore augurii, nam ut rectè doctor sanctissimus putat, si stellæ non possunt agere in actus nostros, nec auguria, si ab eis dirigerentur, poterunt in actus nostros. Non enim major virtus esse poterit in sagitta, quàm fuerit in projiciente. Quod verò stellæ non possint in actus nostros, nunc dicere supervacaneum est, quoniam alibi probavimus.

## C A P. XII.

*Reprobatio causæ assignatæ à Themistio, & Theophrasto, & à Mercurio, & à Varrone, & à cæteris aliis.*

**Q**ui verò dixerunt auguriis fidem esse præstandam, quia moventur à Deo, si de auguriis superstitiosis, & nugatoriis, & temerariis loquantur, deridendi sunt, simili ratione refutandi, qui dicunt auguria moveri à bonis geniis, qui intelligentiæ sive angeli dicuntur, nam nihil superstitiosi, nihil nugatorii, nihil vani esse potest à simpliciter bono. Varronici verò, & alii qui dicunt auguria moveri à Luna sola, vel à dæmone bono interventu Lunæ, sunt omninò explodendi. Si enim sola Luna per signa decurrens, causa movens esset, contiageret eidem eodem tempore bonum & malum significari, nam si Luna tenente Arietem bestia domum ingrederetur, malum portenderetur, quoniam præfagiret litem, & calumniam, quæ mala sunt. At si Luna tenente Arietem, in domo sonitus audiretur, bonum præfagiretur, quia gaudium & lætitiâ, sed cum eodem tempore hæc utraq; esse possint, eodem etiam tempore Luna tenente idem cœli signum, bonum &



malum augurium fieri contingeret, quod ridiculum puto. At si bonus dæmon auguria movet interventu Lunæ ( ut juniores purant ) hoc longè magis superstitiosum, nugatorium & vanum esse videtur, nam cùm Luna & genius bonus ordinatissimæ res sint, omni nugatione, superstitione, & casu carentes, non videntur movere ea quæ veri nihil significant, nisi in superstitione intelligantur. Ad hæc actus nostri non profiscuntur à Luna, nec ab ipso genio, cùm in voluntatem nostram non possint, est tamen verum, dæmones certis stellis observatis, præsertim Luna, concurrere ad multa agenda, hoc enim agunt, ut homines ad eum errorem inducant, quo credant aliquod numen esse in stellis. Et de auguriis hæc tenus finis. M. D. XXIV. Die 11. Januarii.

AUGU-





AUGUSTINI NIPHI,  
SUESSANI, MEDICI AC  
Astrologi excellentissimi,  
DE DIEBUS CRITICIS, SEU DE-  
CRETORIIS, ALREUS LIBER:  
AD VINCENTIUM QUIRINUM,  
PATRITIUM VENETUM

PRÆFATIO.

**I**MPERITISSIMÆ gentes herbas, aliāq;  
prompta in auxilium vulnerum morborumq;  
conjectantes, dierum nullam differentiam fece-  
runt, veruntamen apud Græcos aliquantō dili-  
gentius vetustissimus auctor Æsculapius, medi-  
cinam excolens, dierum idiotropias differen-  
tiasq; observavit, quem deinde ejusdem duo si-  
lii, Podalirius videlicet & Machaon, secuti, decretorios dies ceperunt  
balbutire, post quos Pythagoras, Empedocles, Democritus, ejusq; (ut qui-  
dam ajunt) discipulus Hippocrates Caus decretorios hosce non tantum  
observarunt, sed locupletarunt ac auxerunt, adjicientes indiciarios.  
Post hos Diocles, Charistius, Praxagoras, Chrysippus, Herophilus, He-  
rasistratus, decretorios & indiciarios profitentes, observarunt, & pro-  
vocatorios, quos nostri intercidentes vocitant, hos & Hippocrates no-  
vit etiam, tametsi ferè omnes hos dies sectentur, de eorum causis non  
parvus est dissensus. Qui enim ex ipsa professione se empiricos appella-  
verunt,

uerant, ut Serapion, Apollonius, Glaucias, & aliquanto post Heraclides Tarentinus; saluum discriminum in diebus nullam attulerunt causam, sed sola obseruatione se eos ajunt compertos fuisse, cum quibus & Auerroës, Rhafes, Avicenna, & Auenzoarus: & si rationales conuersere, nullam harum causam afferent, nisi obseruationem: Asclepiades uero Themison, Hippocrates, Archigenes & Galenus rationales horum causas emisi sunt adsignare. Quas Astronomi auspicati sunt, & inter ceteros omnium Mathematicorum princeps, Claudius Ptolomeus. Videntes autem scriptorum discrimina ac dissensiones, viam mediam sequimur: ante enim nos nemo mixtim de iis prodidit. Nam de iis Astronomi rationes cœlestes tantum tradidere. Medici uero medicas obseruationes. Nos autem obseruationes à medicis accipientes, rationes ab Astronomia perquisiuiimus, hinc opus mistum facimus, ut utriusque sectæ indulgeamus. Diuisimus uero librum in quatuor: primus quidem de decretoriorum historia inscribitur: secundus de decretoriorum causis: tertius de prognosticis per decretorios dies: quartus de medicamentorum electione: ut uero facilius memoria commendetur opus, more Mathematico per  
 enunciat a libros facie-

mus.

(\*)

AUGU.

  
 AUGUSTINI NIPHI, DE DECRE-  
 TORIORUM HISTORIA,  
 LIBER PRIMUS.

---


Enunciatum primum.

*Decretum est morborum finis mediante pugna in-  
 ter virtutem regitivam, & humorem ad la-  
 tus salutis vel exitii con-  
 tingens.*



**R** I S I S nomen est Græcum, quod descendit à  
 verbo *κρίνω*, Græcè, Latinè decerno, vel separo, à  
 quo etiam verbo critici dies dicti sunt, Latinè de-  
 cretorii, aut discretivi. Nam in omni duello tria  
 sunt, bellantes, iudex, & tempus, quo bellantes à  
 pugna separantur. Est autem morbus sive ægotatio ut duel-  
 lum quoddam, in quo virtus regitiva corporis nostri (sive sit  
 anima, sive calor naturalis, sive quodvis aliud) contra humo-  
 rem certat, tempus verò, quo pugna hæc cessat ad latus salutis  
 vel exitii, criticus, hoc est, decretorius dies nuncupatur.

Iudex verò generalis est omnium auctor  
 Deus, huic subminister, est  
 medicus.



Enun-

---

 Enunciatum secundum.

*Lesiones humanorum corporum duae sunt, altera quidem dicta ægrotudo sive morbus, altera verò vitium.*

**L**esio humani corporis ea est, qua corpus ipsum in operatione sua naturali, vitali vel animali, exercenda læditur. Hæc autem triplex: Una quidem connaturalis, hoc est, quæ à genitura è cœlesti constitutione contrahitur, ut claudicatio, cæcitas, & cætera id genus. Hæc Chaldaicè, acema, Latine (auctore Materno) vitium nuncupatur. Alia verò non connaturalis, sed sua diuturnitate habitus appellatur, uti podagra, æthica, tabes, cancer & convulsio, in his quidem nulla expetenda est crisis, in prima quidem propter connaturalitatem, in secunda verò ob diuturnitatem. Utrisque namque in his pugna ablata est. Tertia autem præter has, quoniam ab humore extero ac hostili perniciosoque fit, morbus, sive ægrotatio vocatur. In hac crisis indicium, & provocatio observandæ sunt, cum virtus ipsa adversus humorem hostilem insurgit & pugnat, cujus duelli finis crisis, hoc est, decretum à medicis nuncupatur.

---

## Enunciatum tertium.

*Morbus quadruplex, temperatione videlicet, unitate, & numero, & ex his omnibus. Græci crases nostra temperamenta, temperationesque vocant.*

**J**ulius Maternus ubique mixturas appellat. Recentiores Philosophi complexionem, quod verbum, quo modo in hunc sensum

sensum receptum sit, ignoro: est enim apud medicos inter mix-  
 turas & complexiones discrimen non parvum, quod etiam  
 & Græca nomina indicant, nam Græcè mixtura est *μίξις*, com-  
 plexio verò crasis, est namq; mixtura è formis ipsis elemento-  
 rum contingens, complexio verò è qualitatibus formarum. <sup>κράσις,</sup>  
 Ubi igitur à rubra bile peccat temperatio, morbus fit cholericus. <sup>Mixtio.</sup>  
 Ubi verò ab atra bile, morbus est melancholicus. Ubi à  
 sanguine, sanguineus, ubi à pituita, pituitosus efficitur morbus,  
 & ita in cæteris id genus dicendum. Est præterea in animali se-  
 cunda valetudo ex membrorum colligatione, huic adversa va-  
 letudo est soluta colligatio, uti vulnera, ulcera, plagæ, & id ge-  
 nus: præter has ad hæc est & morbus numero, ut sextus digi-  
 tus, aut lapis in vesica, gibbositas struma, & id genus, ex his  
 omnibus fiunt apostases, in quibus adest adversa temperatio, <sup>ἀποστάσις de-</sup>  
 soluta colligatio, additio numeri. <sup>fectio.</sup>

### Enunciatum quartum.

*Morborum in temperatione, alii sunt humo-  
 rales, alii quales tantum.*

**H**UMORES (auctore Galeno) quatuor sunt, sanguis videli-  
 cet, rubra bilis, hodie tamen in ore omnium est cholera,  
 quæ apud Celsum est morbi genus. Atra bilis, quæ Græcè *μα-  
 ρήχολία* nuncupatur. Pituita, quam *φλέγμα* vocant Græcè etiã:  
 quotiens igitur nostris in corporibus aliquis horum quatuor  
 præceperit quantitate, morbus est humoralis, vel (ut cæteri  
 ajunt) materialis, ubi verò calor vel frigus tantum increverit,  
 non quidem humoris causâ, morbus qualis efficitur, quem  
 immaterialem medici vocitant, velut in diaria  
 febre, quæ ephemera Græcè  
 dicitur.

K

Eun-

## Enunciatum quintum.

*Omnibus in morbis, qui humoris causa contingunt, rixa intervenit.*

**D**UO sunt quæ in corporibus nostris sibi invicem adversantur, virtus videlicet corporum regitiva, sive sit anima, sive calor, sive animæ vis & potentia, & humor nocuus. Illa corpus ipsum conservare portendit. Hic corpus dirimere pertentat, quo fit, ut omnibus in morbis temperatione & humore contingentibus pugna ac rixa sit, qua expleta, crisis, hoc est, decretum spectetur: dixi temperatione, quemadmodum ipsis in morbis occasione unitatis crises non visuntur, nec in his, qui in numero contingunt, & ita in morbis tantum ab humore seu materia emergentibus crises seu decreta observandæ sunt, diesque critici animadvertendi.

## Enunciatum sextum.

*Morborum è materia contingentium alii acuti, alii obtusi, alii longi, alii breves, alii conversivi.*

**G**RÆCI in tria genera (auctore Celso) dividere morbos, ut in acutos, in chronicos, hoc est, longos, in tropicos, hoc est, ex acutis in chronicos conversivos: breves autem qui citò vel tollunt hominem, vel citò finiuntur: his longi adversantur, sibi quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est. In quibus sine intermissionibus accessiones & dolores graves urgent: acuti dicuntur, ubi lentis dolores, lentæve febres sunt, & spacia inter accessiones porriguntur, obtusi & longi. Acuti quidem emergunt in nobis morbi, aut ratione subtilitatis humoris, ut chole-

cholericæ febris est, vel caliditatis gratia, veluti pluribus in sanguineis, aut ob humorum copiam, ut in convulsione, aut ratione loci, uti in angina, quæ synanche est, sive synanchia, aut <sup>ovæ 72.</sup> propter malitiam, ut in pestilentibus causis, his contrariis, obtusi morbi contingunt.

### Enunciatum septimum.

*Acuti morbi non semper uno termino unoq;  
tempore desinunt.*

**V**arios fines Galenus & Hippocrates dederunt acutis. Interdum enim eos in 24. diebus desinere, interdum in 20. quandoq; interdum 40. aliquando in 60. aliquando in 120. Diocles acutorum morborum finem esse in 21. die contendit. Archigenes 14. diem, Galenus sermones Hippocratis considerans, inquit: Morbos acutos humorum causâ in 14. desinere. Per accidens verò, ut propter astantes, vel medicos, vel alias causas eos ascendere in 20. diem concedit. Ultra hunc, tropicum fieri autumat usq; in 40. ultra verò hunc chronicum. Humores præterea habent designatos suæ malitiæ fines: rubra quidem bilis 14. diebus sævire solet. Increfcit autem ad accessionem quartam usq;, consistit verò una vel duabus accessionibus. Sanguis uno septenario effervescit, interdum ad 11. affurgit, interdum ad 17. ubi sanguis non putret, rarò decurrit 4. diem: pituita æstuat ad 64. diem, inchoat in 18. diebus, increfcit in 20. consistit in 10. declinat verò in residuo tempore. Ubi verò continuò putret 44. diebus desinere solet: atra bilis offendit uno anno, quandoq; ad 12. annum affurgit, neq; acuti igitur, neq; alii uno termino desinunt.



## Enunciatum octavum.

*Morborum alii diarii, alii hebdomadarii, alii menstrui, alii annui.*

**N**E tot contingant confusiones, placet nobis morbos è materia emergentes dividere penes tempus, quòd videlicet alii sunt diarii, ut qui infra diem apti sunt desinere, ut anginæ, & nervorum resolutiones, & id genus, & hos peracutos nostri crassiusculi medici vocant. Qui verò infra 7. dies finiri consuevère, hebdomadarii nuncupantur, à nostris peracuti, qui infra mensem, ut 14. die, vel 20. vel 28. menstrui appellantur. Qui demum infra annum, annui.

## Enunciatum nonum.

*Morborum alii per dies, alii per menses, alii per annos dinumerantur.*

Aphor. 28. 3.

**S**unt enim morborum quidam, quorum crises per dies, alii per menses; alii per annos visuntur, unde Hippocrates inquit: Plurimi verò affectus puerilis ætatis judicantur, sive finiuntur aut intra 40. diè, aut intra 7. mensem, aut intra 7. annu, aut quum ad pubertatem itur. Qui autem perduraverint, nec solvi poterunt, cum ex ephœbis excefferunt, pubescenti aut fœminæ, quum menstrua erumpunt, his consensescere assolent. Morborum per dies crises in 120. dies assurgere assolent. In quibus sunt & quaterni septenarii, terni & vigenarii, similiter & qui per menses desinunt, ut in febre quartana, & qui per annos similiter. Animadversione dignum, non tantum morbos certis & designatis perfici finibus, sed & generationes & partus. Inquit enim Aristoteles de historia animalium lib. 5.

cap.

cap. 20. Tempus generationis à principio ad finem maximæ ferè parti septenariis ternis describitur, aut quaternis. Culicum ei vermiformis generis parti plurimæ, ter septeni attributi sunt, oviparis quater septeni magna ex parte, septem ex iis ab initu concreatio & consumatio ovi vendicat sibi, reliquis tribus septenis incubant atq; excludunt, ea scilicet quæ suo procreant foetu, ut araneus, aut aliquid generis ejusdem: mutationes verò & transitus in figuras alias trinis aut quadrinis diebus, parti maximæ peraguntur, sicut in morbis quoq; dies decretorius evenit, talis insectorum generatio est. Ad hæc & virilitas in viris, & viri potentia in foeminis designatis temporibus visuntur. Inquit enim Aristot. Semen autem ferè incipit circiter annos bis septem, sed vim generalem recipit circa annos ter septem: homo mas ad annum usq; septuagesimum, videlicet termino ultimo potest generare, foemina verò usque ad quinquagesimum, verùm id rarò, paucis enim proles in eo ætatis anno procreata est, sed magna ex parte maribus quintus & sexagesimus finis pergenerandi est: foeminis quintus & quadragessimus: & in cæteris animalibus idem declarat Aristot. De partu verò sciendum, licet (auctore Plinio) cæteris animalibus statutum & pariendi, & partus egerendi tempus sit, homo verò incerto gignatur spacio, tamen sæpiculè vitales partus 7. 9. 11. & 14. mensibus fieri assolent, ante 7. mensem nunquam vitalis est. Septimo non nisi pridie, postero ve plenilunio die, aut interlunio concepti nascuntur: translatus est in Ægypto octavo gigni. Vestilia quatuor partus enixa, octavo mense genuit Suillum Ruffum, 11. Corbulonem, 7. Cefoniam, Caji Principis conjugem: L. Papius 14. mense oritur, quam ob causam partum ajunt naturales Philosophi cridem esse imprægnationis. Spæcia etiã vitæ designatis temporibus præfigurant, non solum in hominibus ipsis, ut Aristoteles est auctor, sed ani-

mantibus in cæteris, quod quum longum sit pertraçtari, nunc  
omittimus. Solent verò nostri ambigere, an partus sit impræ-  
gnationis crisis. Hac in re nostri contendunt. Quidam namq;  
imprægnationem non esse morbum asseverantes, partum esse  
illius crislm abnegant, qui contrarium sentiunt, argumento  
moventur, quod designato tempore contingit. Recentiores  
ajunt omni in crisi tria esse pernecessaria, è parte coeli aspeçtus  
syderalis est: è parte inferiori, virtus regitiva humorem no-  
cuum expellens, & humor ipse stimulans, ac provocans. Hæc  
tria ipsa imprægnatione reperiri conspicitur, adest coeli aspe-  
çtus, quia nō fit, nisi dum Luna venerit ad signum, quod emer-  
gebat in conceptione, ipsoq; signo horoscopante, quod tenuit  
ipsa in conceptione, ut Hermes ac Ptolomæus sunt auctores,  
adest etiam ipsius fœtus motus provocatorius, qui continuò  
se editioni præparat, ad hæc & virtus mulieris fœtus ipsius ex-  
pulsiva, plures namq; alterationes iu utero ipso deprehendun-  
tur: prima, quâ è forma ipsa feminis in fœtus speciem everti-  
tur: secunda est, quâ excluditur è ligamentis ipsis: tertia est  
partus ipse. Possunt & aliæ annotari, sed hæc satis, & quoniam  
(ut diximus) omnes crises vel per dies, vel per menses, vel per  
annos contingere solent, partus per menses est observandus,  
inde fœtus vel 7. vel 9. II. vel 14. editur, hi namque decretorij  
*Objeçti.* nuncupantur, ut Aristot. sentit. Sed contra hæc assurgunt, nam  
si partus est imprægnationis decretum, ipsa imprægnatio erit  
& res præter naturam mulieris, & ita morbus, nam quod non  
*Resp.* est contra naturam, non expellitur à virtute naturali. Nos di-  
cere possumus, aliquod esse generi naturale, quod speciei non  
est naturale: omnibus enim animantibus naturale est genera-  
re, & ita impleri, mulieri verò in eo, quod homo est, non natu-  
rale: his ad amissim pensitatis, perspicuum est, quibus in mor-  
bis crises animadvertendæ sunt. Nam solum in morbis è ma-  
teria

teria ipsa humoralis pendentibus crises perquirendæ, sive obtusi, sive longi, sive breves, sive diarii, sive hebdomadarii, sive menstrui, sive annuarii, sive per dies, sive per menses, sive per annos observantur tempora, omnibus enim in his rixa, contentio, ac certamen intervenit.

### Enunciatum decimum.

*Dierum alii decretorii, alii judicarii, alii provocatorii, alii vacui. Mensium, annorum etiam alii decretorii, alii indicarii, alii provocatorii, alii vacui.*

**I**nterdum dies pro peragracione latitacioneque Solis supra alicujus regionis horizonte accipi consuevit, quem nostri artificialem vocant. Hic tum propter regionum discrimina, tum propter parallelorum variationes, inæqualis est, verum crassiuscula quadam æquatione, qua uti solent cœlestium rerum scriptores in annos, bis dies hujus nocti æquatur, dum videlicet Sol caput arietis & libræ tenet. Interdum pro primi mobilis conversione cum tanta quoque intercapedine, quanta Sol contra motum suum peculiarem ab oriente in occasum, rursus in ortum versus est, hunc civilem vocant, nec hic æqualis est propter causas Ptolomæi in magnæ constructionis libro. Interdum pro die medicinali accipitur, qui spacio 23. horarum cum una 14. parte horæ continetur. Nunc sumatur in nostro enunciato pro die civili, postmodum dicemus speciatim aliter, quid annus sit, quisve mensis, & quot accipi soleat modis, postea perquiremus. Sunt verò decretorii dies, ut exemplis utar in uno vigenario 7. 14. & 20. indicarii, 4. ad septimū, 11. ad decimum quartum, 17. ad vigesimum: provocatorii verò morbis

bis in his, qui impari motu currunt, omnes terni, ut 3. 5. 9. 13. 15. & 19. qui verò neutri horum sunt, vacui appellantur. Simili ratione in cæteris vigenariis 120. dies is observari potest, ut nunc in primo servavimus, licet sit discrimen quoddam, eo quòd, ut dicimus, virtutes dierum sunt imbecillæ, & tantò infirmiores, quantò à primo vigenario remotiores.

### Enunciatum undecimum.

*Decretorius dies tempus ipsum est, quo virtus nostrorum corporum regitiva per humoris nocui perspicuam expulsionem certamine dimoveri solet frequentius.*

**Q**uia frequentius 7. in die 14. ac 29. ad salutem aut mortem conflictus virtutis & humoris desinere solet, aliqua (ut dici solet) expulsionem, vel occupationem interveniente, idcirco hos Hippocrates decretorios esse prodidit, cæteris verò in diebus, etsi ejusmodi expulsionem interdum visuntur, quum res hæc, nec semper, nec frequenter contingat, decretorii non sunt appellati. Sed ambigunt: nam interdum nulla perspicua evacuatione contingente virtus occultè, & (ut ita loquar) insensibiliter morbum fugat, hæc (ut vides) crisis est, & tamen non perspicuam perevacuationem. Galenus in eolibro, quem de criticis inscripsit, inquit: Ægrotum corporum duplex solet fieri permutatio, utpote vel ad salutem, vel ad exitium. Si quidem ad valetudinem, aut perevacuationem perspicuam subitò, & hanc Græci commodissimo verbo *crisis* vocant, nostri decretum, aut subitò quidem, sed non mox ex toto convalescere ægrotum, & hanc *crisis* imperfectam nuncupat

cupat Galenus: tertia autem ægrotus occultè, nulla interveniente evacuatione manifesta in valetudinem ascendit, sed eo ipso quod humor nocuus in exhalationes, fumos ac vapores exolvitur, & per corporis spiracula & poros evanescit, & hæc sanatio appellatur, seu ut magis convalescentia. Ubi verò permutatio ad exitium sit, aut ægrotus aliqua perspicua pulsione sive apostasi ad exitum labitur, & hæc obnoxia & perniciofa crisis perfectè nuncupatur, aut cum apostasi vel evacuatione imbecilli, & hæc imperfecta est, aut ad exitium per occultam calidi resolutionem, ac spirituum evanescentiam, & hæc arefactio est, aut ad exitium nullo horum contingenti, & hæc suffocatio appellatur. Quis igitur dies decretorius observari debeat, quæve crisis perspicuum est. Simili ratione hora decretoria, menses, & annus decretorii definiri possunt, ut observanti omisimus.

### Enunciatum duodecimum.

*Indiciarius est tempus, quo exitii vel secunda valetudinis nota ut plurimum prænosci solent.*

**T**RES (ut Medici testantur) notæ sunt exitii vel valetudinis; hoc est, boni, vel perniciosi decreti, quæ indiciario die emergere solent, humoris nocui alteratio, perspicua concoctio; sicut ut alii dicunt, digestio, quæ sedimine bono decernitur: exitiosa verò huic contraria livor, mixturæ turbulentia, & id genus. Secunda, est vigilia indicium, vel exitii, ut virtutis facilitas, & additio virium, motus agilitas, ac promptitudo, contraria sunt exitii nota & indicia: tertia est præambulum, quod inter humorem nocuum & virtutem incipit, ut dolores graves,

L

ves,

ves, angustia pectoris, labor, tremor, lenis sudor, ac levis evacuatio. Hæc enim ut præambulatum pugna in die decretorio advenient: quoties igitur tres hæc nota uno reperitur in die, cum indicarium, sive præambulatorium faciunt, hinc indicarium ac præambulatorium est septimi: undecimus verò 14. 17. verò 20. nam ubi prælium fiet in 7. præambulatum expectandum est in 4. ubi in 14. præambulatum in 11. ubi in 20. in 17. præambulatum perficietur, hæc in uno vigenario observanda sunt, simili ratione in cæteris in 120. usq; dies.

### Enunciatum decimum tertium.

*Provocatorius est tempus, quo humor nocuus virtutem ad pugnam provocat.*

**H**umor interdum sua idiotropia contra virtutem accessione impari assurgit, ut rubra bilis omni tertio. Interdum omni die, ut pituita, interdum omni quaterno, ut atra bilis. Provocatorius igitur in rubra bili est omnis tertius, in pituita omnis dies, in atra bili omnis quaternus. Sanguis vero nulli horum numero æstuat. Horum dierum Hippocrates meminit. Sudores febricitanti, si statim inceperint, boni, videlicet tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, & reliquis. Dum enim virtus ipsa, humorq; ipse nocuus ad præambulatum assurgunt, aliquid humoris, sudore, mixtura, aut excrementis pellitur, vel contra quicquam virtutis imminuitur, obq; id etiam non inconcinne à nostris intercedentes nuncupari assuevere, ab antiquis (auctore Celso) crisi. Nam sepiusculè iis in diebus crisis perfici solet, iis de causis, aut quòd humor sit nimis furibundus, ac incendens, aut quòd humor paucus est, nimisq; beneficus, inde retardatur decretum, non ad decretorium diem, sed ad provocatorium, aut quòd provocatorius

eratorius est, ut affinis (teste Galeno) ipsi decretorio, aut quòd aliquo eorum contingere potest bona cœli constitutio, unde virtus adjuncta potest nocuum humorem dirimere & superare: quis nunc decretorius, quisvé indiciarius, quis & provocatorius, perspicuum sit in tantum.

### Enunciatum decimumquartum.

*Contingit interdum dies hosce invicē commutari, alternasq; vices invicem subire.*

**Q**ui provocatorius est, effici potest decretorius quatuor dictis causis, ut dixit Gal. contra etiã decretorius vicem provocatorii subire potest, est enim 7. ad 9. provocatorius. Ad hæc 11. effici potest decretorius, ut propter cœlestem constitutionem, & propter humoris contra virtutem instigationem. Quòd igitur naturale est alicui, potest accidentibus everti, ut scribunt naturales.

### Enunciatum decimumquintum.

*Dies quartus septimi indiciarius est, octavus principium alterius septenarii exoritur, unde decimus etiam considerandus est, quartus enim secundi septenarii est, itemq; decimus septimus observandus est, quartus enim à quartodecimo, & septimus ab undecimo.*

**U**No in vigenario dies tres sunt decretorii, ut 7. 14. & vigesimus, tresq; indiciarii, quartus, 11. & 17. provocatorii



omnes impares. Junxerunt Hippocrates & Galenus omnes  
indiciarios enumerandos fore à medico replicatione, & inde  
quartus est à primo, primus verò secundi quaterni usque in 7.  
hinc septimus est & octavus, nam replicato quarto, is, ut duo  
capietur. Ad hæc omni in vigenario secundus septenarius de-  
cretorius enumerandus est; ut duo, ut 14. pro fine secundi se-  
ptenarii, & pro principio tertii. Septimus huiusmodi & 20. integrè  
enumerandi sunt. Nam octavus secundi septenarii caput est.  
Animadvertione dignum, Galenum enumerasse in morbis  
dies usq; ad 120. deinde præcipit non dies, sed menses observa-  
ri usq; ad 48. post hos non menses ipsis in morbis animadver-  
tit, sed annos. Nam in morbis primis diebus adest ingens con-  
flictus ob humoris ac virtutis pollentiam, inde quum imbecil-  
la virtus sit, remanet in mensibus decretoria vis, post verò  
menses, quum continuò imminuendo procedat, vis decreto-  
ria in annis observatur. Simili ratione in vigenariis dierum ob-  
servari jubet. Nam primo in vigenario ob virtutis pollentiam  
animadvertendi sunt septenarii, & quaterni, & terni; omnibus  
enim in his primo in vigenario crises fieri assolent, eò quòd  
nondum virtus imminuta est, post primum in quadragesimū  
usq; secundo videlicet in vigenario, observandi sunt, tum se-  
ptenarii, tum quaterni, eò quòd adhuc vires adsunt. Tertio in  
vigenario usq; in 60. vires decretoriæ observandæ sunt in se-  
ptenariis, quum plus è principio virtus ipsa deficiat. Cæteris  
verò in vigenariis usq; in 120. vigenarii sunt perquirendi. Nam  
solum in his crises visuntur, quum virtus sit: plus etiam imbe-  
cilla post hos menses observandi sunt, non secus ut dies, post  
menses, anni animadvertendi, similiq; ratione observandi. Est  
præterea aliud attentione dignū, horas dierum non eadem ra-  
tione colligendas omnibus in diebus primi vigenarii. Nam in  
primo quarto attendendæ sunt novem primæ horæ. Sunt enim  
in præ-

in præliambulo pollentiores. Secundi verò quarti, hoc est 11. primæ tres horæ sunt animadvertendæ. Nam observatione cognitum est eas esse concitiores. Tertii verò quarti, hoc est 17. primæ 21. horæ sunt perquirendæ; eò quòd observatio docet eas esse graviores ac sæviores. Simili ratione in septenariis. Nam in primo septenario primæ 17. considerandæ; in secundo 7. hoc est, in 14. primæ 11. tertio in septenario, hoc est, in 20. primæ similiter 17. sunt diligenter perquirendæ, ac rem hanc observatio medicorum docuit: sed cœlestium rerum scriptores ajunt hoc esse, eò, quòd luna iis in horis pervenit vel ad quadrarum cardines, vel semiquadrarum, qua in re luna pollentior ac fortior habetur, sed an res sic se habeat, parum medicis confert, satis sit eis observationem id judicasse: opus est etiam animadversione in cæteris vigenariis, nam horæ non simili ratione colligendæ. Secundo enim in vigenario, ubi quaterni & septenarii tantum observantur, horæ duæ sunt minuendæ, tum à quaternis, tum à septenariis. Tertio verò in vigenario, ubi septenarii tantum considerantur, quatuor horæ inminuendæ, ubi verò in cæteris observantur vigenarii, sunt sex demendæ, verbi causa primo in septenario primi vigenarii 17. horæ erant observandæ, in primo septenario secundi vigenarii 15. horæ tantum sunt pollentes, & ita in quaternis cæterisque septenariis ac vigenariis observetur: rei hujus rationem afferunt, eò quòd virtus continuo imminuendo procedit, ut diximus. Est etiam attentione dignum, non simili ratione in continuis, & intercisis morbis dies esse enumerandos. Nam in morbis perpetuis ac continuis dies enumerantur, & ita quartus indiciarius est septimi. Septimus verò decretorius, in quo continuis in morbis desinere solet febris: ipsis verò in morbis interpolatis observantur accessiones, & ita quarta accessio in primo septimo consideranda est: septima verò in 13. die, in quo

desinere solet. Habet autem se septimus dies, in quo quarta as-  
 surget accessio ad 13. ut quartus, in continuis ad 17. Celsus 3. suæ  
 medicinæ libro argumentis Asclepiadis contra Hippocratem  
 insurgit, ostendens observationem hanc variam esse, neq; ullo  
 in die, quia par imparvé esset, his majus vel minus periculum  
 esse dixit, primò quòd interdum peiores dies pares fiunt; se-  
 cundò, quia nonnunquam in ipso morbo dierum ratio muta-  
 tur, sitq; gravior, qui remissior esse consueverat, tertio, quòd  
 ipse 14. par est, in quo magnam vim antiqui fatebantur, quarto,  
 quum octavū primi naturam habere secundi septenarii con-  
 tendant, nam ab eo secundus septenarius incipit, cur 10. ac 12.  
 non acceperunt tanquam potentiores, quum ab octavo 10. sit  
 tertius, à 10. tertius est 12. Propter hæc & aliqua alia inquit, me-  
 dicos non dies numerare debere, sed ipsas accessiones intueri,  
 & ex his conjectare crises, & quando cibus dandus, & quan-  
 do medicina, sed hæc pax Celsi medicinam non sapiunt. Nam  
 enunciata medica non in omnibus vera esse oportet, sed ut in  
 pluribus, quæcunq; enim Hippocr. & Galen. de diebus scripse-  
 runt, observatio frequens adinvenit, quæ sunt autē ut frequen-  
 tius vera, possunt impediri, efficiq; falsa, quòd igitur pares sint  
 interdum peiores, id est, interdum verum non frequentius, si-  
 mili ratione rarò dierum ratio mutatur, præterea est par uno  
 modo, altero verò impar, pro quanto replicationem & horas  
 ipsius 12. continet, & si octavus primus sit secundi septenarii,  
 ratio ternorum à 7. enumeranda est, idcirco 9. est ternus à 7.  
 11. à nono, 13. ab 11. 15. à 13. 17. à 15. 19. à 17. unum tamen est dubita-  
 tione dignum, quod Gal. enumerando dies, eos computat una  
 hora minus, quod dissonum videtur Astronomis, & ipsis me-  
 dicis Astronomis quidem. Nam Lunæ motus ejusq; peragra-  
 tio per 12. signa irregularis est. Medicis verò, quod primis in  
 diebus, morbo videlicet crescente, accessio anticipat plus  
 una

una hora, ipſoq; conſiſtente, nulla fit acceſſionum antecelſio, ipſo decreſcente acceſſionum fit poſtpoſitio. Inde dies medicinalis, ubi incremento morbi una hora anticipare videtur, in conſiſtentia conſiſtere, in imminutione q; poſtponere videbitur, & ita non per dierum obſervationem, ſed per acceſſiones dies animadvertendi ſunt. Tum enim dies eſt, quo acceſſio fit, quare ab acceſſione dies obſervandus, nō à numero, rem hanc in ſequentibus diligentius perquiremus : nunc verò ſatis ſit locum monſtraſſe, difficultatem q; aperuiſſe.

### Enunciatum decimum ſextum.

*Humoris nocui evacuatio, convenientes per regiones medici auxilio decretum eſt medicinale.*

*Tempus verò, quo medicus ſuo auxilio humorem evacuat medicinalis decretorius eſt dies.*

**D**Uplex decretorius à medicis colligi conſuevit, alter quo ſponte ſua, nulloq; medici auxilio humor obnoxius à natura ipſa evacuatur, ad mœniaq; totius corporis vel extra educitur, hunc natura ac idiotropia humorum decretorium faciunt, alter quo natura ipſa ſponte ſua nihil educeret, verò benigna ac medici auxilio rem nocuam naturamq; hoſilem fugat, hunc medicinale decretorium facimus, quemadmodum enim in decreto naturali tria concurrunt, virtus ipſa, materiæ nocuæ provocatio, ac cœli conſtitutio, ita ad hoc medicinale decretum concurrunt primò virtus ipſa, nam natura ſola illa ſanat, a deſt materiæ nocuæ provocatio, quæ auxilio medici quovis inducitur : ita enim pharmacum virtutem provocat, ut in die naturam decretorio humor : opus eſt etiam in phar-

pharmacis cæterisq; auxiliis medicorum, ut cœlestis constitutio observetur, ut dicemus: est autem corporis auxilium (auctore Celsò) aut demens aliquam materiam, aut adjiciens, aut evocans, aut reprimens, aut refrigerans, aut calefaciens, simulque aut durat, aut mollit: demitur materia sanguinis detractione, cucurbicula, dejectione, vomitu, frictione, omniq; exercitatione, corporis abstinence, sudore. Quidam autem medicinæ peritissimi sanguinis detractionem inter medicinales crises non dinumerant, qua è re præcipiunt sanguinem esse detrahendum omni die, omniq; hora, dum surgat necessitas. Avicenna autem & Gal. medicinæ auctores non ignari ajunt, sanguinis detractionem calefacere etiam bilem, pituitam frigefacere, idcirco ubi curatio perneccessaria non fuerit, observare jubent diem & horam.

Enunciatum decimumseptimum.

*Dies omnes supervacui sunt medicinaliter decretorii.*

**S**upervacui dies uno in vigenario ii sunt, qui nec provocatorii, nec indiciarii, nec decretorii sunt, ut in cholericis; 2. 6. 8. 10. 12. 16. 18. hi enim omnes idcirco supervacui sunt, quoniam ~~omni~~ ~~carant~~ ~~naturalitate~~, nec enim provocant, nec indiciant, nec decerunt. Sunt autem medicinaliter decretorii, quia in quolibet eorum medicus potest naturæ auxilium suum præbere, aliis non adversantibus. Simili ratione cæteris in vigenariis colligi possunt; ac diligenter animadverti. Non defunt qui velint medicinales decretorios hos ipsos esse, qui naturales, argumento quòd medicus est naturæ favissor, quum igitur die naturaliter decretorio natura ipsa moveat, ergo & ipso eodem die medicus motum jubere debet: adde quòd humor nocuus  
facilius,

facilius, dum est in motu, educitur, quàm dum quiescit: est autem in motu die ipso naturaliter decretorio, igitur eo die erit illius convenientioreductio. Galenus, Hippocrates, & cæteri medici Græci & Itali jubent dies, decretorium, indiciarium, ac provocatorium esse observandos: in supervacuis verò alvum esse educendam. Nam quum pharmacum laborem præstet, & quodvis aliud medici auxilium, dies etiam ipse decretorius dolores augeat, opus est, ut die decretorio medicus silear, ne dolores doloribus addat, duas simul ingravescētias iungat. Maurus, & Arnoldus, & multi nostri medicina scriptores ajunt, in morbis paribus, ut in pituitosis & melancholicis, omni die alvū esse movendam. In pituitosis cōstat, quia omnis dies ingravescens est: melancholicus verò humor, quum sit gravis, inagilis, ac durus, die motus humoris educendus esset, & quod plus, hora interlunii vel plenilunii, eò quod major tunc humorum motus: verum hæc res consideratione eget.

### Enunciatum decimumoctavum.

*Dierum medicinaliter decretoriorum primus est 8.  
post hunc 10. post hunc 26. post hunc 12. post  
hunc 18. post hunc 6. ultimus horum  
secundus est.*

Supervacuos dies diximus esse medicinaliter decretorios, nullosq; in eis esse indiciarios, sive provocatorios, verum aliqui magna sua parte natura sunt boni ad educationem, aliqui minus. Omnium aptissimus est octavus: Primò, quòd virtus nondum imminuta est, materiaq; nocua nondum mitescit. Secundo, quòd raro post 7. perfectum visum est naturæ decretum, quare opus est, ut quicquam auxilii naturæ afferatur,

M

quod

quod è materia ipsa quicquam subtrahatur. Tertio, quod eodie magna ex parte humor nocuus concoctus est. Tria sunt, quæ impedire possunt medici auxilium. Primum est, cum nihil natura ipsa fecerit septimo ipso die. Nam interdum natura crisis inijcit, quæ deinde die provocatoria perficit, qua è remedio tempore sileat medicus. Secundum, ut notæ pollutentis ritæ in subsequentiis contingentis non adsint. Tunc enim octavus est noni tyrannus. Tertium, ut auxilium sit non coactum, nonq; violentum, ubi namq; necessitas urgeret, dierum nulla est habenda cura, verum laudo, ut nunquam omni ex parte alvus educatur, semper enim ipsi naturæ quicquam relinquendum. Difficile enim forrasse est medico quantitatem materiæ nocuæ cognoscere: post hunc decimus est secundo loco aptus educationi: est enim decimus aptior sexto: nam sextus est septimo proximus, illiusq; frequentissimè tyrannus, est item secundo promptior: rarè enim secundo die materiæ ipsa concocta est, & duodecimo etiam melior. Nam duodecimus est decimotertio proximus, qui maximus est, est decimosexto pronior, quum eo die virtus imbellior sit, simili ratione & decimo octavo melior. Post hunc est decimus sextus propter similes rationes, post hunc simili ratione 12. est, post hunc decimus octavus eadem ratione, & in cæteris simili ratione dicendum, ut verò primo in vigenario supervacui dies se habent, ita & in cæteris credendum. Jam erratum medicorum nostrorum nunc patet: ante enim septimum rarè educendum est, nec in quarto, nec in sexto alvus educenda, liquanda tamen esset, & in quarto magis, & subtrahendum etiam quicquam, unde Hipp. inquit: Ea quorum crisis sit, quorumq; facta est, æqualiter neque movere, neq; motu quicquam agere, neq; pharmacis uti, neq; aliis provocationibus, sed opus est sinere. Ubi tamen in septimo nulla futuræ crisis spes adsit, aliquid materiæ in quarto sub-

to subtrahere confert. Post septimum quum raro omni ex parte crisis spectetur, educere bonum est, servatis (ur diximus) cæteris quæ auxilium medici impedire possunt. Hæc tamen intellige, si inchoantibus morbis nihil esse movendum videtur, ut Hipp. inquit, nam ubi ob materiæ furiositatem movendum esse quicquam videretur, inchoantibus morbis movere debemus, quare non ab ratione junioris dicunt, hæc non de cura coacta, sed de regulari esse intelligenda.

### Enunciatum decimumnonum.

*Rubra bilis circuitus ad horam sexagesimam est: atra bilis ad nonagesimam sextã: pituita ad quadragesimam secundam: rubra bilis autem accessio ad quadragesimam octavam: pituita ad vigesimam quartam: atra bilis ad septuagesimam secundam.*

**Q**UOD Græci periodum, nostri circuitum vocant: est autem circuitus ex duabus accessionibus unaq; quiete media compositus, quod verò Græci peroxissimum, nostri accessionem appellant: est autem accessio una pars circuitus. In rubra bile accessio 12. perdurat horis, quies verò 36. quare circuitus rubræ bilis spacio 60. horarum continetur. In atra bile accessio 24. producit horis; quies 48. totus igitur circuitus spacio 96. continebitur. In pituita accessio 18. horis, quies 6. perdurat. Igitur circuitus spacio 42. habebitur: sanguis verò nec circuitum nec accessionem habet: unde verò sint hæc, observatio docuit medicos: Astronomi verò cælestes formas considerantes, causam adinvenierunt, ut posterius dicemus.



**Enunciatum vigesimum.**

*Et sanguis increfcit, æstate rubra bilis, autumnio  
bilis, hyeme pituita. Itemq; prima diei natu-  
ralis parte sanguis increfcit. Secunda rubra  
bilis. Tertia atra bilis. Quarta  
pituita.*

Uemadmodum sunt quatuor anni tempora, ver videli-  
cet, ætas, autumnus, & hyems, ætas calida sicca ru-  
bræ bili, autumnus siccus, frigidus, atræ bili, hyems  
humida, pituitæ fimilis, ita naturalis dies, qui spacio vi-  
quatuor horarum cõtinetur, quater sc̄ctus quatuor par-  
tinet, temporibus quatuor anni convenientes, unde  
is sex horis ab ortu Solis increfcit sanguis: est enim tem-  
lud diei conveniens veri, secundis sex increfcit rubra bi-  
Nam ætati conyenit, tertiis sex atra bilis, quod autumnio,  
is sex, pituita, quod hyemi, inde Sol rursus exõditur.

**Enunciatum vigesimum primum.**

*Item, esse consuetis in operibus primo in diuiduo  
tempore aptum sensibilibus notis apprehen-  
di, est adverse valetudinis prin-  
cipium.*

phistæ adverse valetudinis negant primum, nam quum  
rotatio sit alteratio quædam, & motus: sit autem sexto  
rotationis physicæ traditum, nullius motus esse primum  
tendum, & ærotationis etiam primum negarunt, cuius  
senten-

sententiæ Xenon fuit. Alii fatentes id esse primum, quod aptum est nobis sensibilibus notis primo apparere, dixerunt præviã morbi fractionem, quam Arabes alimeliletu vocant, esse ægrotationis initium. Alii primam horam, qua ægrotus decumbit. Deficiunt autem isti omnes. Primi quidem, nam (auctore Galeno) sensibus innixus, id morbi principium capiet, quod suis à sensibus, indiciis & notis sensibilibus aptum est sentiri. Tale autem est læsum esse consuetis in operibus, primo individuo in tempore. Secundi etiam deficiunt, quod non est jam principium, quod non est prima rei pars: fractio autem prævia, nec morbus est, nec morbi pars. Tertii etiam, nam corpore & viribus robustus pluribus diebus ægrotare potest, non tamen decumbere, primum individuum tempus morbi est, in quo morbus est, & per signa ac indicia sensibilia aptum sentiri, & antea non erat, nec sentiri aptum, tale est primum (ut astronomice loquar) minutum morbi, ad quod Astronomi thema cœleste constituere solent, ejusmodi est (ut ita loquar) prima morbi accessio. Emergunt tamen hîc dubia. Prima, quòd recidiva febris est nova, sed an à febre prima, an ab ipsa initium accipi debeat, ex nostro enunciato non constat. Secunda, utrùm à febre apostasis, an ab apostase ipsa initium colligendum. Tertia, in apostase costarum, utrùm ab apostasis initio, an à pure. Quarta, de febre partum sequente, utrùm à partu ipso, an à primo febris. Quinta, de partu ipso, à quo initium colligendum. Sexta, de Ethicæ principio. Ultima, de prægnationis initio: hæ sunt quæ ambiguitatem faciunt. Ut autem res ista aperiat, repetendum primò, principium morbi esse minutum, primum horæ, quo rixa inter humorem ipsum nocuum virtutemq; emergere incipit. Dicendum secundò, aduersas valetudines quasdam esse è morbis aliis dependentes, quasdam absolutas. Tertio, quòd quædam toti corpori generales, ut fe-

*Notatur.**Per Ethicam intelligis habetiam.***NB.**

*Per apostasiam  
intelligit abscis-  
sum & appu-  
racionem.*

bres, quædam particulares, ut apostasis: tunc prima deletur, quòd recidiva è radice pendens computari solet è radice ipsa, quæ verò absoluta est, è prima sui motus accessione colligenda est. Simili ratione de febre apostasum, ipsa ab apostasis accessione prima observanda est. Nam ab illa exoritur, eodem etiam modo, si apostasis, ut adversa valetudo est, accipiat eum mali initium, est ipsa ab apostasi, si ut concoquitur (quod exire vocant, à quo exitura) initium est à concoctione: de febre partum sequente, fuit apud medicos dissensus. Galenus namq; à partu ipso docet initium esse assumendum. Alii quòd partus res naturalis est, à febre ipsa, & non à partu initium colligi præcipiunt. Tu verò observare debes, an febres à partu ipso exoriantur, an è propriis, causis seorsum contingentibus, quod iis notis observare potes, ut, si in secundo, sive tertio die à partu, si dolores partus fuerint graves, si mulier debilis ac imbecilla, tunc febres è partu ipso exoriantur, & ita è partu colligendum initium est: ubi autem contrà fit, ut, quòd nec tertio die, nec secundo dolores increverint, nec mulier imbecilla, tunc à febre ipsa initium erit. Simili ratione in partu ipso: est enim partus ipsius initium, quum dolores ingravescunt: tunc enim rixa initiat. De Ethica discrepant medici. Illud autem observandum est, quod si ethica ab humoralis febre exoritur, initium ab illa colligendum est: ubi verò ethica ipsa propriis causis incipit, prima pars eius ethicæ initium est, multa alia tradunt medici, quæ omittantur. Hæc sunt, quæ medici prodiderunt de diebus decretoriis, nulla ratione, nullaq; causa móti, sed sola observatione, atq; experimentorum viribus fulti, quod sufficere Avicenna autumat. Nam rerum causas perquirere opus est physici. Galenus autem medicorum princeps, neq; id sufficere, neq; medicis prodesse, neq; pulchrum esse concedit. Nos autem dissensus hosce ad tempus mittimus: satis enim nobis sit cu-

NB.

Sit cupientibus rem & causam scire, rem hanc isto ordine absol-  
vere: post hæc igitur ad horum causas transigamus.



EJUSDEM AUGUSTINI NIPHI,  
DE DECRETORIORUM CAUSIS,  
LIBER SECUNDUS.

Enunciatum primum.

*Pro scientia decretoriorum necessarium est præcog-  
noscere idiotropias 12. signorum, & septem pla-  
netarum, nec non eorundem configura-  
tiones, ad hæc & vires  
eorum.*



**S**TELLÆ (teste Aristotele) agunt in nobis motu  
lumine. Secundum verò alios agunt etiam influ-  
xibus, idcirco opus est præscire 12. signorum idio-  
tropias, hoc est, peculiaritates, vel naturalitates,  
nec non & 7. planetarum, & quia agunt lumine,  
quod est irradiatio quædam: irradiatio verò configura-  
tionibus perficitur, opus est præcognoscere configurationes, &  
quoniam agunt influxibus, opus est prænotare, quibus mem-  
bris influant, quibusve nostri corporis partibus immittant,  
omnibus enim ex his scientia causarum decretoriorum colligi  
poterit. Multa alia adjici possunt, quæ ex Astronomia ipsa per-  
quirantur: nos enim brevitati indulgentes tantum utilia, &  
necessaria medico afferemus. Illud tamen ante omnia peten-  
dum.

dum, me omnia pro Claudii Ptolemæi principis esse proditurum: hunc enim principem Astronomorum facimus, nec minorem Aristot. illum physicorum Deum.

### Enunciatum secundum.

*Saturni stella majori ex parte infrigidat, minori verò exiccat. Jovis stella temperat, aliqua tamen ex parte calefacit. Martis omni ex parte exiccat, exuritq; suo calore. Solis majori ex parte calefacit, minori verò exiccat. Veneris temperat, aliqua tamen ex parte humectat. Mercurii majori ex parte desiccatur, in humore temperat.*

*Luna humectat.*

**H**Æc sunt, quæ Ptolemæus apotelesmatum libro primo de qualitatibus planetarum prodidit. Sed horum causas investigare longè est à medico. Sunt præterea stellæ ipsæ causæ primæ, & non ab aliis tales. Quòd igitur Sol calefaciat, observatio docuit: nemo enim, dum Solis radiis subjicitur, exponiturq; dubitat, quòd minori ex parte exiccet, argumèto patet, quòd è nostris corporibus humores exhalare cogit, è maribus ipsi dulces aquas exolvit, naturales physici cum calefacere probant, quòd omnium lucidissimus ac major est. Hujus rei exemplar est, quòd cælum animal est è cœlesti corpore, ipsaq; anima constitutum, ejus stellæ partes sunt, cordi quidem similis Sol, Luna verò cerebro, qua è re ut cor fons est caloris, omniumq; totius corporis virium: sic Sol omnium stellarum calidior ac pollentior, ut verò cerebrū humidius, ac omnium virium

virium capax: ita Luna humidior omnium stellarum virium materia: est enim, ut Aristoteles inquit, terræ similis, calefacit igitur Sol, humectat verò Luna, quod argumento homo deprehendit, quod ipsa crescente imminuentēve crescunt, ac imminuuntur nostræ humiditates. Quòd verò Saturni stella infrigidet, argumento probat Ptolemæus, quòd à Sole ipso, & situ, & idiotropia, & natura discrepat: observatione verò, quòd cum Sole configuratus, varias qualitates concitat semper tamen frigus. Quod verò Albumasar contra Ptolemæum, inducit, puerile est, & experientiæ repugnans. Jovem temperare, Ptolemæus autumat argumento, quòd situ medius est inter Solem Martemq; & Saturnum: in cœlestibus verò corporibus, quod situ medium est, & natura mediantis est (auctore Averroë) quod Albumasar ignorat. Martem exiccare urereq; argumento, quòd proximus est Soli, cujus sphaera fervet, quare & specie idiotropiaq; Soli proximus erit. Venerem temperare, parumq; humectare argumento, quòd interjacet Soli ac Lunæ: humectat verò, quòd Lunæ similima, quantitate videlicet luminis. Mercurium ait exiccare, eò quòd nunquam è Sole magna intercapedine sejungitur. Humectat autem interdum, quia Lunæ finitimus. Exemplar verò horum est: Nam, Sol cœli cor, Luna cœli cerebrum, Saturnus lien, Jupiter semen, Mars testes, Venus jecur, Mercurius fel: idcirco iis exuperant qualitatibus, quibus partes hæ in animalibus excreverint: æqualitatibus his Astronomi sexum planetis ac signis tribuunt, quod poëtico more (nam poëtæ primum cœlestia prodidère) conceditur, fœminæ sunt, nam humiditas fœminea vis est, ut Luna & Venus, qui autem calorem exuperant mares: nam calor virilis vis est, ut Sol ac Jupiter & Mars, frigus etiam agit: idcirco est Saturnus masculinas vires possidens. Mercurius,

N

rius,

rius, quòd siccitatem ac humiditatē pariter operatur, hermaphroditus est planetarum.

### Enunciatum tertium.

*Calefaciunt ac infrigidant planeta quinque: Tum pro configurationibus, qua sui cum Sole collocatio-  
ne formantur: tum pro figuris, quas in horizon-  
te formant. Simili ratione & masculini-  
zare ac foeminizare perhi-  
bentur.*

**H**Abent planetæ ad Solem, & ad ortum configurationes: quæ quidem ad Solem sunt, habitus à nostris nuncupantur, ut orientalitas, occidentalitas, matutinitas, & vespertinitas, quæ verò cum ortu, configurationes nuncupantur. Planetæ igitur, quum præcedentes Solem orientales vel occidentales existunt, frigefaciunt ac masculinescunt argumento, quòd sunt in dextro Solis, dextrum enim solis supra terra est, & dextrum calidius sinistro: contra verò, ubi sequentes occidui fuerint, calefaciunt ac foemininescunt, argumento quòd in sinistro sunt Solis, quòd cæteris in animalibus frigidius existit. Cælum præterea quatuor tractibus designatur, primus videlicet ab ortu ipso in culmen, hinc oppositus sita est ab occasu in imum, ambo hi calidi sunt tractus: primus quidem, quòd dexter, ac totius mundi dextro proximus, hic contrarius, quòd contraria ejusdem sunt generis: illotropiaq;. Tertius à culmine ad occasum, huic contrarius ab imo in ortum: ambo ii frigidi, eò quòd primus in sinistro, ac sinistro mundi constitutus: Secundus, quòd illi ad occasum, contrariusq;, quorum genus est unum.

Qua

Quæ re planetæ, primo in tractu ejusq; contrariis collocati calefaciunt ac masculinizant, cæteris verò frigescent ac fœminescunt. Simili ratione Solem ac Jovem diurnos, dieiq; præesse, argumētō est, quòd dies nocte est calidior. Venus verò, ac Luna contrà nocturnæ noctuq; pollentiores, quia humidæ. Mercurius mixtus hermaphroditus videlicet, quòd naturæ est mixtæ, in oriente diurnus, in occasu nocturnus: ut verò calor diei temperetur, Saturnum diarium fecerunt, dieiq; præesse: frigore enim Saturni, calor diei contemperatur, contrà Mars nocti ac nocturnus, ut nox ipsa calore Martis attemperetur.

### Enunciatum quartum.

*Luna prima è sua corniculatione ad diuidualitatem sinistra usq; humectat, indeq; ad plenilunium calefacit: inde ad diuidualitatem dextram exsiccat: inde ad congressum infrigidat. Idem est similibus configurationibus cæterorum planetarum cum Sole.*

**Q**UUM Sol, Lunaq; in perfecto zodiaci partium numero fuerint, conjunguntur, eorumq; configuratio synodus Græcè, Latine conjunctio dicitur, quum verò 60. partibus zodiaci à Sole distiterit, Conoides Græcè, Latine cornicularis est, eorumq; configuratio sinistrum exagonum, Latine sextilis appellatur. Quum à Sole 90. partibus, Græcè dichotomos, Latine semiplena aut diuidua est, eorumq; configuratio quadrangulum sinistrum. Quum 100. & 20. amphixyrtos, hoc est, prætumida, sive gibborosa, estq; configuratio eorum triangulum sinistrum. Quum 100. & 90. plena est, ejusq; configura-



rio, oppositio, seu diameter: ab oppositione ipsa in coitum usq; format rursus tres configurationes, ut triangulum, dum gibborosa est, quadrangulum, dum dividua, exagonum, dum cornicularis: verum primæ sinistræ sunt, eò quòd post Solem, eiusque in sinistro. Secundæ verò dextræ, quòd ante Solem, in dextroq; Solis constitutæ, dextrum namq; ante Solem oritur, sinistrum verò post. Quæ è re Luna è prima cornicatione, è que synodo in sinistrum quadrangulum usque movet aëriam idiotropiam, veris crasim, sanguinem ac pueritiam, è sinistro hoc triangulo in oppositum usque: ignis idiotropiam, æstatis crasim, rubram bilem, juventutemq; è plenilunio ipso in dextrum usq; quadrangulum: terræ idiotropiam autumni crasim, atram bilem, senectutem, ab hoc verò in synodum rursus: aquæ idiotropiam, hyemis crasim, pituitam, ac decrepitem. Res autem hæc argumento comprobatur, quòd Luna lumen è Sole suscipit, quòd lumen tamdiu Lunæ ipsi increfcit, quamdiu Solis in ea irradiatio increverit. Hinc in primo quadrangulo calefacit ac humectat pariter: irradiationis autem incrementum, quum in plenilunium processerit, calefacit materias, inde choleram movet. Irradiatio verò dum imminuere incipiet, facit siccitatem post calorem, & inde melancholiam concitabit, ultimo è quadrangulo, quum omninò imminuat irradiatio, omninò calor imminutus erit, frigusve exuperans: inde pituitam procreabit. Quæ Ptolemæus advertens libro 100. enunciatorum inquit. Quum Luna est in primo quadrangulo, hoc est, ex quo à Solis conjunctione recessit, corporum humiditates ad secundum usq; effluunt: in reliquis autem decrefcunt. Hæc & Galenus in libro quem de criticis inscripsit, approbat. Astipulatur etiam huic, quod in humidis videtur corporibus: cancris enim in ipsis, cerebro venis, cæterisq; id genus, aptissimè excrefcencia hæc cognoscitur: crescente enim Luna, hu-  
midi

moderate affluunt, decreſcente, decreſcunt, unde & ſtipites, ut agricolæ ajunt, incifi in plenitunio putreſcunt ob humoris plenitudinem: interlunio verò minimè: cæteris etiam in planetis idem ſpectari poteſt, tribus quidem in ſuperioribus: nam dum quadrangulantur Soli, humeſtant, dum diametrantur, caleſciunt, dum iterum quadrangulantur, exiccant, dum demum concurrunt cum eo, inſtrigidant. Mercurius verò, ac Venus, quum non poſſunt in tantum è Sole diſtare, movent quidem humores, dum orientales ſunt, uſq; in primam ſtationem, & calorem à principio retrogradationis: in ſtationem verò ſecundam uſque, exiccant, dum ruruſus diriguntur, ac cum Sole coiverint, frigeſcunt: verum, iis in ſtellis valdè ejuſmodi exuperationes ac humorum excreſcentiæ vel decreſcentiæ latent.

### Enunciatum quintum.

*Sol, cum accedit ad culmen noſtrorum capitum, eſtq; in medio accessus, facit ver, ſanguinem movet, & aërem auget: dum verò ad culmen noſtrorum pervenerit caput, aſtatem, rubram bilem, ac ignem: dum ruruſus convertitur, quod in medio fit conuerſionis, autumnum, atram bilem, ac terram: dum omnino à noſtrorum caput apice reſceſſerit, hyemem, pituitam, ac aquam:*

*ſimili ratione & in diurna conuerſione fit.*

*Et autem Sol in anno, dum caput arietis tenet in medio accessus, illinc ad caput cancri facit ver, ſanguinemq; au-*

get, & ærem, dum in capite cancri est, tunc in apice nostrorum capitum collocatur, illinc ad caput libræ facit æstatem, movet choleram, & ignem, è capite libræ in caput capricorni decurrens, facit autumnum, ac atram movet bilem, è capite capricorni in caput arietis peragrans, facit hyemem ac pituitam, hunc quidem motum per 12. signa Sol in anno facit, estq; ab occasu in ortum, sibiq; naturalis, ac proprius. Simili ratione ab ortu in occasum Sol percurrrens, motu quidem non proprio, sed firmamenti, facit tempora quatuor, anni temporibus finitima. Sol enim ab ortu decurrens in culmen cœli, hoc est, ad meridianum regionis facit diarium ver, movetq; sanguinem, è culmine verò ipso in occasum descendens, diariam facit æstatem, & choleram concitat, ab occasu defluens ad imum, facit autumnum, & atram bilem movet, ab imo in ortum rursus assurgens, facit hyemem, ac pituitam. Nam ut annuis temporibus moventur humores à motu Solis per 12. signa, in mensibus propter Lunę cum Sole configurationem, ita in diariis temporibus fiunt hæc quatuor illis finitima.

### Enunciatum sextum.

*Jupiter & Venus benefica sunt natura: Saturnus verò & Mars malefica: Luna autem & Sol configurationibus sunt nunc benefica, nunc malefica: Mercurius interdum beneficus, interdum maleficus mixtione.*

**D**Uæ sunt beneficæ qualitates, calor videlicet, & humor: duæ maleficæ, frigus & siccitas. Inde Jupiter & Venus beneficæ sunt naturæ, tum quòd temperatæ, tum quòd Jupiter calidus,

calidus, Venus humida: hæ enim qualitates procreativæ, ac generativæ sunt. Contra Saturnus & Mars maleficæ, quòd Saturnus frigidus, Mars siccus: sunt autem hæ obnoxix, ac interfektivæ. Sol verò & Luna, quum sint omnium planetarum principes, & benefici & malefici interdum sunt: benefici quidem, dum beneficiis irradiationibus planetas illustrât: ut triangula, aut hexangula radiatione: malefici verò, dum maleficis configurationibus propulsant, ut diametro, conjunctione & quadrangulo. Mercurius autem, quum sit capax utriusq; naturæ, beneficis & maleficis fit admixtione, dum enim beneficiis admiscetur, beneficis perhibetur, dum cum maleficis, & malefici subibit naturam. Fit autem planetarum mixtio, primo, quando alter in alterius auctoritate constitutus sit, è contrarioq; Secundo, quando sese inspiciunt. Tertio, quando corpore juncti sunt eodem in signo, vel eadem in signi parte. Hæc autem in nostro de calamitatum causis diligentius perquisivimus: hæc generatim de planetis dicta sunt, & quoniam planetæ sunt formæ, signa coeli sunt ut materia, consequens est, ut de signis transigamus: scientia enim de forma prior est.

### Enunciatum septimum.

*Signifer orbis, in quo 12. signa infixæ sunt, per quem planeta, Soletiam & Luna cursus suos dirigunt; obliqua semper agitatione torquentur.*

**Z**odiacus Græcè, Latine signifer 12. sectionibus ab antiquis sectus est, quæ signa incupantur: sunt autem his nominibus appellata, videlicet

Aries.

Taurus.

Gemini.

Cancer.

Leo.

Leo.	Virgo.	Libra.	Scorpius.
Sagittarius.	Capricornus.	Aquarius.	Piscis.

Prima quidem tria, Aries, Leo, Sagittarius, calida ac sicca sunt. Secunda verò, Taurus, Virgo, Capricornus, frigida sicca. Tertia, Gemini, Libra, Aquarius, calida humida. Quarta, frigida & humida. Sunt igitur quatuor triangularitates ejusdem idiotropiæ. Prima quidem ignea. Secunda terrea. Tertia aëria. Quarta aquea. Sunt autem ultra hæc 12. signa 36. cœlestes imagines, in cœlo ipso stellatæ ac infixæ, in quibus per observationem sunt 1022. stellæ, harum 48. imaginum 21. ad Septentrionem assurgunt, 15. verò ad meridiem declinant, septentrionales quidem stellas continent 360. meridionales 316. Signum est tanta zodiaci pars, quanta Sol 30. diebus, hoc est, uno mense ferè peragrarè potest, vel spacium illud, quod interim dum Luna ad congressum redit, Sol ipse peragrasset, signū dicimus, qua de re non inconcinne zodiacus 12. in signa sectus est. Primò, quòd Sol 12. mensibus zodiacū percurrit. Secundò, quòd Luna, antequam Sol zodiacū pergraret, duodecies cum Solo congregitur. Signū deinde in triginta partes, quæ Moria Græcè nuncupantur, nostri gradus, libuit dividi, nam pars sive gradus tantus est locus (ut dicit Maternus) quantus Solis aut Lunæ orbis in circuitu complectitur, vel tantū, quantū Sol uno die peragrat, hinc zodiacus in 360. partes sectus est, nam triginta in dodecenario ducta numero, sunt 360. partes. Gradū sive partē ad hæc in 60. minutias, nam sectio hæc (Ptolemæo auctore) aptissima est calculo. Horum præterea 12. signorū quatuor sunt mobilia, ut Aries, Cancer, Libra, Capricornus, argumento quòd Sol, dum illa tenet anni tempora permutat, quatuor fixa, Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius, quòd Sol in eis collocatus anni tempora figit, quatuor communia, quæ Sol in eis utrisq; temporibus favet, ut Gemini, Virgo, Sagittarius, & Piscis. Initium signorum

Mbea.

NB.

gnorum licet naturaliter nullum sit, ab ariete caput assumpsere, argumento quod dum Sol eum tenet, in crescit humor, generatio perficitur, omnesq; res ad bonum surgunt, contra dum in libra collocatus est, decrescunt res, atque corruptio incipit, desinitq; generatio, unde Poëta:

*Non alios prima crescentis origine mundi  
Illuxisse dies, aliūmve habuisse tenorem,  
Crediderim, ver illud erat, ver magnus agebat.  
Ver adeo frondi nemorum, ver utile sylvis.  
Vere tument terra & genitalia semina poscunt:*

Vergilius.

Hinc ab ariete initium 12. signorum sumpsere. Est ante primum ejusmodi non naturale: nam et si nobis istum mundi situm incolentibus, hæc Sol faciat, dum arietem percurrit: incolentibus tamen sub capricorno, & ultra, contrarium facit. Hæc & de signis generatim. Nunc de planetis, & de signis quædam communia transigamus.

### Enunciatum octavum.

*Quinq; sunt stellarum configurationes, tres male-  
ficæ, ut conjunctio, diameter, quadrangulum:  
due benefica, ut triangulum &  
sexangulum.*

**D**E configurationibus nunc dicendum: potest enim & plasticè & particulariter Mathematicus loqui de his, plasticè quidem: nam quæcunque integro signorum numero 12. fecerint, ipsa plasticè junguntur, à signo ad signum septimum, quod fuerit, hoc est, diametrum: quadrangulum est ab eo signo, à quo inchoamus quartum, & hæc tres configurationes minaces & malignæ sunt: triangulum est à signo, à quo inchoamus

Q

mus

mus quintum: sexangulum est ab eo signo, à quo iniciamus tertium, & hæc prosperæ ac felices sunt. Rursus de his particulariter dicamus: quæcunque igitur integro partium numero juncta 360. fecerunt, ipsa junguntur: quæ verò 180. partibus distiterint, ipsa diametrantur: nam hæc bis ducta 360. faciunt partes, à parte quadam quæcunq; 60. pars fuerit, ipsa sexangulum latus demonstrat. Nam si sexies 60. miscueris, 360. habebis: à parte quavis 120. pars triangulum latus constituit. Nam si 120. triplicaveris, 360. redduntur: à parte quavis, quæcunq; 90. fuerit, latus quadrangulum componit: nam quadruplicantes 90. complemus 360. Hæc Ptolemæus.

---

### Enunciatum nonum.

*Duodecim signa præsent corporis nostri  
partibus 12.*

**C** Aput attributum est arietis, collum ac cervix tauro, humeri & brachia geminis, cancro pectus, latera & stomachus leoni, venter virgini, libræ renes & vertebræ, scorpio pudenda, coxæ sagittario, genua capricorno, crura aquario, piscibus pedes.

---

### Enunciatum decimum.

*Septem planeta præsent humoribus, morbis ex  
ipsis contingentibus, membris cor-  
porisq;*

**S**OL & Luna generatim omnibus præsent humoribus, morbisq; cunctis & membris. Speciatim verò Saturnus (auctore Ptolemæo) atræ præest bili, melancholicos inde morbos ingenerat.

generat. In homine aurem dextram, lienem atq; vesicam tenet. Saturni morbi sunt oblongi, ut phtisis, reuma, catarrhus, tabes, ethica, iliaca, hydropisis, fluxus, tenasmus, dolores aurium, & id genus, quartana, quintana, sextana, & huiusmodi febres. Nam quum ipse idiotropia frigidus sit primo & secundo, siccus humores concitat tales, ut hæ oblongæ adversæ valetudines ingenerentur, cum in homine partes eas tenuerit. Ptolemæus tradit, & bona Astronomorum diuturnaq; observatio docuit, quod Jupiter præest sanguini, sanguineos procreat morbos, in homine tactum, pulmonem, costas, pulsus ac semen habet, peculiare Jovi morbi sunt ventosi ac sanguinei, ut angina, & apoplexia, hoc est, attonitio, convulsio, cardiacus morbus, infirmitates pulmonis, costarum, seminis, & id genus. Nam sanguinem & ventum ingenerat, è quibus procreantur morbi. Mars rubræ bili præest, ex ea morbos movet, habetq; in homine sinistram aurem, renes, venas atq; testes, huic morbi proprii sunt, febris assidua perpetuaq;, tertiana, hemitriteos, hoc est, semitertiana, incensio quæ causon nuncupatur, pestilens febris, & quæ sunt species sanguinei excreatus, ut tradit Celsus in 4. ignis sacer, & quem erysipelam nostri vocant, Plinius & Celsus, mentagra, pustulæ, carbunculi, tubercula podagræ, omnesq; adversæ valetudines minaces & atroces, & in cute contentæ. Venus præest pituitæ, morbos exinde inducit, habetq; in homine odoratum, jecur & carnem: Venerei morbi sunt, sanguinolenta excrementa ac profluvia. Mobiles apostases, fistulæ, stomachi vitia, jecoris morbi, cordis languores. Mercurius nunc huic, nunc illi præest humori, frequenter siccitati, mercuriales languores sunt, ut rabies seu furia, infania, phrenesis, epilepsia, hoc est, morbus comitialis, nimia excreatio, quæq; adversæ dicuntur valetudines, è sicco pendere humore, habet & in homine rationem, loquelam, memoriam, linguam, fel & nares. Sol ve-



tò ac Luna, quum principes sint, omnibus ptesunt humoribus, omnibus membris, atq; morbis omnibus. Speciatim tamen, ut designantur propriis & peculiaribus viribus. Sol in homine habet visum, cor, cerebrum, nervos, omniaq; partis dextræ. Luna gustum, deglutionem, stomachum, alvum, matricem, & omnia sinistra partis membra.

### Enunciatum undecimum.

*Circuitus atrabilis Saturno: rubra verò Marti: pituita Mercurio & Luna tribuuntur. sanguinis autem labores, Jovi, Soli & Veneri.*

**A** Trabilis Saturno congruit, primò qualitate: nam ut Saturnus frigidus est & siccus: ita melancholia, propter quòd non indoctè, qui fusoriam artem callent, ut Alchimistæ, melancholiam Saturnum vocant. Secundò & motu: nam atrabilis sat tardè ut Saturnus, suum motum perficit. Simili ratione rubra bilis Marti, & propter qualitatem, & propter motum, non aliter pituita Lunæ & Mercurio: nam pituita citissimè circuit, ut Luna & Mercurius, quoniam Sol continuò movetur, atq; in viribus Jovis & Veneris, idcirco sanguis continuò & perpetuò ingravescit. Quòd igitur atrabilis omni quartò accedat, non est nisi quòd Saturno tardissimo convenit, pituita quotidie, quòd Lunæ citissimè subditur, rubra bilis omni tertio, quòd Marti subjacet mediocri, sanguis perpetuò, quòd Soli, Jovi & Veneri, quorum vires perpetuæ & continuæ sunt. Picus vir gravissimus libro consultationum Astronomorum contra hæc objicit: primò, quòd atrabilis singulis quaternis deberet perpetuò motum agere, ut Saturnus. Ad hæc motus Saturni ad

ad atræ bilis circuitum accessionemq; nulla ratio, nullaq; proportio adest. Nam dum Saturnus repedit, atra bilis non repedit, dum ille properat, hæc non properat, dum ille stationarius est, hæc non stat. Rursum Jupiter & Venus nunc stant, nunc repedant, nunc properant, sanguis uno & perpetuo motu affligit: ad hæc motus humorum sunt irregulares, difformes, atq; incompositi: planetarum motus contra sunt regulares, demum planetæ causæ sunt generales: nisi igitur speciales adsint causæ humores, non magis nunc quam antea motum cicerent. Alia multa inducit Picus, quæ omittantur, quòd levia ac frivola sint. Prima quidem, quòd Saturnus cæteri q; planetæ sunt generales humorum, motuum causæ. Sed adsunt multæ accidentes causæ exteriæ & intimæ, quas Petrus Apponensis congregat, quibus circuitus ad genus hoc motus designatur. Secunda etiam infirmatur, quòd inter eos est proportio, ac ratio convenientiæ in qualitate, & in genere motus, quod fat est cum aliis cõcurrentibus. Tertia demitur, quia Sol continuo & perpetuo movetur instar sanguinis, sunt q; Solis, Veneris & Jovis vires perpetuo colligatæ. Quarta aufertur, quòd humores naturaliter regulariter q; moventur: ex accidente verò irregulariter. Ultima simili ratione refellitur, quòd planetæ, ut ars, generatim concurrunt, speciatim adsunt membra, naturalis calor, particulares constellationes, vires ex genitutis contractæ, cæteri q; conditiones, quas Astronomi scribunt. Hæc de circuitibus ac eorum causis.

NB.

Ennu-

Enunciatum decimumsecundum.

*Morbi, qui per dies computantur, per agratione  
Luna per duodecim signa evariantur, qui per  
menses, per agratione Solis: qui per annos,  
per agratione cæterorum Pla-  
netarum.*

**M**Orbi ( qui per dies dinumerantur ) non sunt è principio ad finem æquales: interdum enim et si perniciosi ac graves, circa tamen dolores & labores evariant: nunc enim molestant, nunc mitescunt, nunc lenes, nunc graves fiunt. Luna verò cum sit cæterorum citima, sitq; cum Sole, diversas crases colligens, nimirum quòd morbi hi Lunæ peragratiorem ac afflictionem sectentur. Simili ratione, qui ultra mensem progrediuntur, non sunt æquales, nec uno dolorum genere affligentes, quum sint tardiores ac longiores: Soli, qui Luna tardior est, ascribuntur, eorumq; ingravescentiæ ac labores pro constitutione Solis, ac ejusdẽ affectionibus sunt colligendi non aliter, quàm qui ultra annũ producuntur. Sunt enim in æquales, nunc graves & laboriosi, nunc lenes & placabiles, qui cum longi & chronici sint, longis & chronicis stellis dantur, ut Saturno, Jovi, Marti, cæterisq; consortibus. Quæ è re Ptolemæus ac cæteri Astronomi sapidè ac lautè sentiunt, quum dicant, talem esse diariorum morborum processum, qualis Lunæ est in signis cæterisq; cum planetis status, talem menstruorum ordinem ac cursum, quales sunt Solis cum signis, cæterisq; cum planetis affectiones, talem etiam annuorum ingravescentiam, quales cæterorum planetarum inter se, & cum aliis constitutiones, inde his bonus, illis malus indicetur finis, itemq; bo-

RUDA

num illis initium, his malum. Rursus medius cursus, his placabilis, illis minax ac laboriosus.

### Enunciatum decimum tertium.

*Ut à Sole annus : sic à Luna mensis fit.*

**P**eragratio Lunæ 12. per signa, lunarem mensem constituit. Solis verò per 12. signa cursus, annum. Est autem apud Ptolemæum duplex mensis tantum, lunaris videlicet & solaris. Lunaris diebus 28. horis duabus, minutiis circiter 18. fit : tanto enim tempore 12. peragrat signa, unde & mensis conversionis nuncupatur, quòd Luna in toto signifero convertitur. Solaris verò est, quo Sol metitur 12. signorum unum præcisè, idcirco Ptolemæus inquit : quidam autem à peragratiōe Solis iudicant, quum particulariter exæquatus est gradui ac minuto, quod initio obtinebat : Sol igitur à capite arietis commotus, mensem perficit, cum in caput devenerit tauri. A Sole igitur annus est, à Sole solaris mensis, ab eodemq; dies, qui motus est, quo trigessimam partem signi unius peragrat. Annus non una ratione ab antiquis habetur. Nam Romæ quidem primùm 10. fuit mensibus, post 12. (Numa Pompilio auctore) nec tunc benè constabat, donec Julius Cæsar eum probè constituit, unde Julianus annus dictus est, cujus menses ita quidem distribuit, ut alios è pluribus, alios è paucioribus diebus statueret, adiecta post quadriennium, die una : quare benè Ptolemæus inquit, menses lunares propè 13. solari anno continentur : nam si dies 365. in dies 28. horasq; duas, & minuta 18. ter decies partiare, relinquitur ferè intentum. Galenus autem medicus quadrifariam mensem dividit : unum videlicet penes illuminationum, evariationem : alium penes cum Sole configurationes : alium penes 12. signorum peragratiōem : quartum ex illuminationum

num

num evariatione, ac cum Sole configuratione mensem medicinalem componit. Luna enim, ut inquit, tres evariationes for-  
 titur, unam videlicet qua ex Solis radiis occultatur usque in  
 secundam occultationem. E prima enim occultatione in se-  
 cundam usq; mensis est luminarius, quo & vulgares utuntur:  
 solet autem esse his è spacio 26. dierum, horarumq; circiter 12.  
 habet verò Luna hoc in mense septem luminis evariationes.  
 Prima, quâ Conoides, hoc est, cornicularis. Secunda, quâ di-  
 chotoma, hoc est, dividua & semiplena. Tertia, amphicyrtos,  
 hoc est, prætumida sive gibborosa. Quarta, quâ diametra, hoc  
 est, plena & opposita fit.

Hinc ad occultationem tres alię sunt luminum evaria-  
 tiones, ut gibborositas, dividualitas, ac corniculatio: Luna isto  
 mense penes hæc luminis evariationes agit in nobis commu-  
 ni quadam sibi & Soli virtute, videlicet lumine. Est enim lu-  
 men virtus Lunæ & Soli communis, qua de re laute agunt me-  
 dici nostra tempestate, qui in pharmacis ægrotis exhibendis  
 observant plenilunium & occultationem: uterque enim dies  
 minax pharmacationibus, & auxiliis præbendis, plenilunium  
 quidem, quòd Luna tunc nostra corpora summè calefacit,  
 summeq; humores increfcunt, argumento nobis est, nos tunc in  
 plenilunio esse calidiores, & quemadmodum calor è centro  
 ipso ad circumferentiam trahit: inde humores omnes ad cor-  
 poris ambitus continebuntur, pharmacum contra è circum-  
 ferentia ipsa ad centrum, hinc tempus illud evitandum est, ne  
 contrarios motus medicus præcipiat, è quibus virtus ipsa pos-  
 set summoperè laxari, quo in tempore sanguinis extractio non  
 esset ita evitanda, quum contrarium motum non habeat, nisi  
 propter agitationes duas evitetur. Tempus præterea dum Lu-  
 na latet, evitandum est: nam tunc Luna, cum lumine omninò  
 careat, valdè exiccat nostra corpora & humores, hinc eo tem-  
 pore

pore retentiva potentia increvit, quæ exiccatione continetur: possit igitur pharmacum agitare, movereq; corporis humores, illosq; non educere ob retentivè inobedientiam: igitur tempus illud erit evitandum. Hæc apud antiquos medicos non multum observata sunt, nec recentiores, ut Avicen. Rhafes & alii observari jubent. Post hunc, mensis est conjunctionarius, quem indocti lunationem vocant, & hunc observant nautæ & laboratores, & id genus. Soletq; mensis iste 29. dierum, horarum circiter 12. spacio mensurari: habet verò Luna hoc in mense configurationes 8. conjunctionem, sinistrum exagonum, hoc est, sexangulum, sinistrum tetragonum, hoc est, quadrangulum, sinistrum trigonum, hoc est, triangulum, diametrum, hoc est, oppositionem. Itemq; trigonum dextrum, quadrangulum dextrum, & exagonum dextrum. Mensis verò tertius est peragrarius, quo videlicet ex designato signo cœli, designataq; parte, hoc est, gradu peragrando 12. signa, redit ad idem signum, eandemq; signi partem, verbi causa, è capite arietis, in caput arietis, hunc Galenus facit 27. dierum, horarum circiter 8. licet aliter Ptolemæus, quod nihil ad rem, hoc in mense Luna habet 16. evariationes, quas Ptolemæus observavit: prima, dum Luna ipsa venerit in partem 22. & mediam, à prima, in qua designabatur. Hac enim in parte 22. & media, à prima distante Ptolemæus principium totum figuræ angulum constituit. Secunda in parte à prima 45. Hac enim in parte secundum collocat angulum Ptolemæus. Tertia in parte à prima 67. & media, in qua & 3. angulum facit. Quarta in parte à prima 90. in qua & quartum ponit angulum, primo videlicet sinistrum tetragonum. Quinta in parte à prima 112. & media, in qua quintum angulum locat. Sexta in parte à prima 135. in qua sextum angulum jubet. Septima in parte à prima 157. & media, in qua septimum angulum observat. Octava in parte à prima 180. in qua octa-

P

vum

vum angulum primo diametrum facit. Nona in parte à prima 202. & media, in qua nonum collocat angulum. Decima in parte à prima 225. in qua decimum angulum limitat. Undecima in parte à prima 247. & media, ubi & undecimū angulum designat. Duodecima in parte à prima 270. ubi & duodecimum facit angulum, eidem primo dextrum quadrangulum. Decimatertia in parte à prima 292. cum dimidia, ubi decimum tertium angulum inscribit. Decima quarta in parte à prima 315. ubi & decimum quartum facit angulum. Decima quinta in parte à prima 332. cum dimidia, in qua & decimum quintum imponit angulum. Finis verò in 360. parte, ubi peragratio desinit, est decimus sextus angulus, ut, sit figura laterū 16. quorum unum quodq; è 22. gradibus, minutisq; 30. cōstat, qui numerus quater ductus, quartam cœli partem implet, hoc est, 19. partes, quæ ratio docet gradus duos & viginti cum dimidiato gradu, sexdecies multiplicatos tercentos sexaginta gradus completi, quot gradus totus cœli ambitus est: in hisce angulis Luna 16. evariationes nō tantum in morbis ipsis, sed omni in re ingenerat. Simili ratione Sol, dū in anno 12. signa peragrat, hos 16. angulos constituit, quibus mutationes nobis enormes injungit. Cæteri etiam planetæ suos peragrando circulos etiam figuram hanc 16. laterum inscribunt, quibus in locis mirè nobis publicantur alterationes. Hæc de mense peragratio. Ultra hosce Galenus adinvenit mensem, in quo medici ipsi in accessionibus ac circuitibus morborum, ipsisq; pharmacis exhibendis, enumeratione criticorum, prædictionibus, ac victibus administrandis uti solent, ob quod medicinalis appellatus est, hunc ex illuminario peragrarioq; mensibus, edit hunc videlicet in modum, ut uterq; mensis congregetur, eritq; numerus excrescens dierum 53. horarumq; 20. ejusmodi ulterius congregatum dimidiat, ita ut pro unoquoque dimidio numerus

erit

erit dierum 26. horarumq; 22. hunc dierum numerum facit medicinale mensem, qui illuminario horas addit 10. posset doctus Mathematicus ex hoc annum (si placuerit) componere, hinc patet hebdomadam esse ex diebus 6. horisq; circiter 17. diem verò ex 23. circiter horis. Movetur autem Galenus primò, quòd Hipp. vigesimum fecit naturaliter decretorium. Archigenes 21. ut igitur hos summos medicinae observatores conciliaret, è die ipso horam unam circiter sustulit, & inde hebdomadam edit, è qua & mensem sic: namq; abjiciendo è die ipso horam, uterque suis dinumerationibus verum autumat. Secundò, quòd Luna humoribus ipsis dominatur, viribus duplicibus, utpotè communibus sibi & Soli, hoc est, per lumē, quod commune utriq; est, & viribus etiam propriis, hoc est, per hoc, quòd ipsa suum peragrandò circulum, dum ipsa 12. angulos (quos diximus) format, miras emittit nobis alterationes, hinc mensis utriusque particeps esse debet. Quot dies hoc in mense sint decretorii, quot indiciarii, quotvé provocatorii, doctus medicus facile colligere potest. Hæc sunt, quæ Galenus de mensibus tradit.

---

### Enunciatum decimumquartum.

*Luna 360. signiferi partes peragrans, 16. in eis format angulos, in quibus vires pollentissimas exercet. Idem Sol cateriq; planeta suis peragationibus agunt.*

**S**aturnus orbem suum annis 30. peragrat: Jupiter annis 12. Mars duobus: Sol diebus 365. horis circiter 6. Venus & Mercurius æquali ferè temporis spacio cum Sole: Luna 27. diebus, horis 8. quilibet autem horum suis (ut diximus) in peragationibus



nibus 12. latera describit, quorum unumquodq; est ex partibus (ut diximus) 22. minutiis 30. qui numerus sexdecies ductus 360. partes reddit. Luna igitur dum est in parte à prima 180. est in parte primæ diametra, sive opposita, idcirco illa in parte constituta, vires has quales diametrum exerceret: exercet autem vires favorabiles atq; beneficæ, si bonis affectionibus erit constituta: maleficæ verò ubi afflictionibus erit laceffita: Luna item in parte à prima 90. in parte primæ est quadrangula sinistra, idcirco ibi constituta, vires exercet quales quadrangulum, & has quidem pro cōstitutione, ac ejus affectionibus afflictionibusvé: Luna in parte 45. è prima collocata vires exercet semitetragonas: nam 45. partes sunt quadranguli dimidium: ubi pro affectionibus ac constitutionibus vires beneficæ maleficævé exercere perhibetur: Luna in parte è prima 22. & dimidia, vires exercet adhuc dimidiatas semitetragonas: nam 22. & minutia 30. sunt dimidium semitetragoni: ubi simili ratione pro affectione afflictionevé vires nobis immittit. Simili ratione cæteris in angulis colligi potest: pro ratione enim configurationum, proq; affectionibus ac constitutionibus ipsius, vires exercet interdum beneficæ, interdum maleficæ, nō aliter cæteri planetæ suis in peragationibus vires exercent, licet illi tardius, Luna celerius rem hanc agant.

*Notatu digni.*

### Enunciatum decimumquintum.

*Virtus corporis regitiva, & Luna morbis ipsis per dies enumeratis, sunt primæ efficientes bonæ crisis causa, humoris provocatio, & Luna constitutio per signa, instrumentaria: contra verò malæ crisis*

*sis primæ efficientes cause sunt, humor provocans,  
ac Luna constitutio: Luna verò & virtus  
instrumentaria.*

**I**psa in ægrotatione pugnabat virtus cum humore, inde cū virtus superaverat, crisis erat bona, ac ægrotō jucunda, ubi contrā humor nocuus exuperabat, crisis pernitiōsa, ac minax erat: igitur nec virtus sola esse potest salutiferæ crisis causa: nam semper esset salutifera, nec contrā humor minax solus: nam semper crisis esset exitiōsa, siquidem virtus servare, humor perneccare pertentant. Quare nec ambo causæ erunt simul atq; effectrices: æquis enim è juribus nulla exoritur actio, ut Physici testantur: igitur opus est, ut virtus alterius egeat auxilio, hoc sapientes Lunam ipsam esse conjectarunt. Primò, quòd cæterorum citima. Secundò, quòd nobis proxima. Tertiò, quòd humiditatum motrix ac concitatrix. Quartò, quòd plus aliis morbis ipsis per diem enumeratis convenit, quæ è re benè & sapidè Galenus virtutem ipsam, & Lunam causas primas, & præcipuè effectrices autumat bonæ & salutiferæ crisis: Sapidi, & est. prudentia. sūnt autem hæ vel particulares causæ unam integram constituentes, vel subministræ, quod medicis sat est, sed sola virtus, solaq; Luna, neq; ambæ sufficiunt, sunt namq; causæ nimis generales, generatimq; effectrices. Nam semper Luna, semper virtus adsunt: non tamen semper crisis, nec salutifera semper, idcirco perneccariæ sunt duæ aliæ instrumentariæ, ac (ut ita loquar) sine qua non, videlicet humor provocans, & cœlestis Lunæ benefica constitutio: nisi enim humor provocaret, virtus prælium non adiret, nisiq; Luna bona ac benefica constitutione collocata esset, qua ipsi virtuti faveat, crisis non esset salutifera. Salutiferæ igitur crisis duæ præcipuæ, & primæ effectrices causæ sunt, virtus ipsa, ac Luna ipsa, duæ verò instru-

mentariæ, benefica Lunæ constitutiō, & humor provocans. His enim è quatuor, crisis salutifera interdum tota, interdum partialis exoritur: exitiosæ verò crisis quatuor rursus sunt causæ (ut diximus) duæ primæ ac præcipuè efficiariæ: ut humor provocans, & malefica cœlestis Lunæ constitutiō, non tamen solæ hæ: nam non semper ex his solis mors & exitium exoritur, idcirco instrumentariæ sunt duæ, virtutis ipsius imbecillitas, & Luna ipsa: Luna quidem generalis, sine qua nihil fieret: imbecillitas virtutis specialis: hisce namq; è quatuor exitium, seu perniciosæ exoritur crisis, vel tota, vel in parte. Quid autem sit ista benefica cœlestis Lunæ constitutiō, quidvé malefica, quidam medici rerum cœlestium ignari, dixerunt esse signi adversam vel convenientem morbis idiotropiam, verbi causa, sit morbus cholericus, Luna tenente arietē, quum aries signum sit cholericum calidum videlicet & siccum, favet morbo cholericis, adversatur tamen virtuti. Contrà, quum Luna pervenerit in cancerum: nam tunc adversatur morbo ex signis idiotropia, quòd cancer frigidus est & humidus, sed virtuti confert. Verùm pace horum hæc puerilia sunt. Primò, quòd si, Luna tenente arietem, pituitosus in vaserit nos morbus, semper faveret tunc virtuti, & dum in cancro esset, faveret morbo, hujus contrarium docet observatio: nam sæpiusculè crisis salutifera facta est, ubi nulla est cum signo convenientia, nec virtutis, nec morbi. Secundò, non semper Luna decurrente per frigida signa ac humida, aër mutatur ad frigidum humidumq;, nisi & alii planetæ convenerint. Qua è re est animi aversione dignum, quòd benefica cœlestis Lunæ constitutiō semper viribus occultis virtuti favet: mutat enim aërem ad beneficas occultasq; qualitates, è quibus virtus pollet, ac exuperantior fit. Malefica verò constitutiō aërem mutat ad maleficas vires, è quibus ipsa virtus eliditur, prosternitur ac dirimitur, nec benefica

*Notab.*

fica hæc constitutio prodest, quòd calida, sive frigida, sive quævis talis, nec illa malefica, quòd sicca, humida, aut talis, sed potius profunt aut pernecant. Est autem Lunæ cœlestis benefica constitutio, benè se cum planetis habere, bonis in locis, bonis in finibus, cæterisq; beneficis affectionibus, ut posterius aperiemus: malefica contrà est, quando Luna malis in signis, malis cum planetis, malis in finibus, & cæteris id genus collocata sit; quæ sint hæ, bonæ, malævé affectiones, suo loco aperietur.

---

### Enunciatum decimum sextum.

*Menstrua crises à Sole: annua verò à cæteris planetis, ut diaria à Luna sunt.*

**U**T in morbis diariis salutiferæ crisis duæ erant primæ & effectrices causæ, ut Luna, ut virtus, duæ & instrumentariæ benefica Lunæ cœlestis constitutio, & humor provocans: exitiosæ verò crisis, primæ causæ effectrices, humor provocans, & malefica Lunæ constitutio, duæ instrumentariæ, imbecillitas & Luna: ita & in morbis mensibus enumeratis causæ primæ effectrices salutiferæ crisis sunt, virtus & Sol: instrumentariæ autem, humor provocans, & Solis benefica constitutio: exitiosæ verò contrà, ut diximus: itemq; & in cæteris morbis, qui annis mensurantur, de planetis aliis autumandum, solum his & illis hoc interest, quòd ibi Luna, hic Sol, vel cæteri planetæ observantur.

---

### Enunciatum decimum septimum.

*Luna peragratio in angulis figura 16. laterum in morbis diariis, causa est criticorum provocatoriorum*

*riorum & indiciariorum: Solis verò in men-  
struis: cæterorum Planetarum in  
annis.*

**F**iguram 16. laterum (ut diximus) ita constituas, ut è singulis 22. partibus, minutiisq; 30. unum latus efficies, qui videlicet numerus quater ductus, quartam cœli partem implet, hoc est, partes 90. quæ ratio docet gradus duos, & 20. cum dimidio gradu sexdecies multiplicatos, trecentos & sexaginta gradus complecti, quot graduum totus cœli ambitus est. Hæc igitur 16. latera è singulis duobus, & 20. gradibus, minutiisq; 30. constituta, figuram 16. laterũ faciunt, qua constituta & laterum angulis probè consideratis, non modò qui decretorii vocantur, sed indiciarii, & provocatorii, omnibus in morbis habentur. Nam (ut diximus) Luna nostris corporibus ob insitas sibi vires ac potestates, ipsos corporum humores excitat, ac pro arbitrio moderatur, quocirca locus ejus, ubi ægrotare quis cœperit, diligenter inspiciendus est: locus item huic adversus, & utriusq; medius à dextra & sinistra: quum enim tria hæc loca, quem locum ægritudinis hora Luna tenebat, adversis, & ut Græci dicunt, diametris, ac quadrangulis radiis hostiliter feriant, ubi unumquemque locorum eorum Luna transierit, necesse est, ut morbus ille, majorem quàm in aliis diebus commotionem faciat, propter adversantium locorum naturam, ad quæ Luna pervenerit. Quo fit, ut peragratio Lunæ per hosce angulos sit causâ criticæ commotionis, indiciariæ præliambulationis & provocationis. Ut diximus in Lunæ peragratione in diariis morbis, ita in menstruis, peragratione Solis, & annuis peragratione cæterorum Planetarum: potest enim omni in peragratione figura hæc 16. laterum describi, vires angulorum & potestates unde sint, & propter quid, & quantæ, cauciato diximus 14.

Enun-

Enunciatum decimum octavum.

*Vires & potestates criticorum sunt à Luna peragrato-  
ne per angulos plenos: indiciariorum verò  
peragrato-  
ne per angulos semiplenos: provocato-  
riorum peragrato-  
ne per angulos semiplenos dimi-  
diatos. Idem in ceteris morbis è peragratio-  
ne ceterorum Planetarum  
colligito.*

**D**ies in eo, quòd dies est, tempus, ut tempus, est numerus: numeris nulla vis, nulla potestas insita est apud Aristot. quicquid Pythagoras senserit. Idcirco dies criticus non in eo, quòd tanto numero continetur, præliatorius est, ut antiqui medici auctoritate Pythagoræ scripserunt, scilicet vis insita ei est à Lunæ in eo per angulos peragrato-  
ne. Hæc enim dies benefica est, eò quòd in eo Luna beneficis viribus alterat aërem, estq; malefica, quòd maleficis & exitiosis potestatibus aërem exariat: igitur generatim vires ipsis diebus è Lunæ peragrato-  
ne insunt. Sunt autem in figura 16. laterum anguli pleni quatuor. Primus est, qui in parte à prima 90. constitutus est, ut 15. cancri. Secundus, in parte à prima 190. constituitur, ut 15. libræ. Tertius, in parte à prima 270. collocatur, ut 15. capricorni. Quartus & ultimus, in prima parte, quam Luna tenebat in morborum initio, ut in 15. parte arietis. Primus est quadrangulus primæ parti, ut decimo quinto arietis, estq; sinister quadrangulus. Secundus est primæ parti diameter. Tertius est primæ parti dexter quadrangulus. Ultimus est conjunctionarius primæ parti. Quæ è res vires & potestates habet in eis Luna plenas & perfe-

perfectas, eò quòd aspectus configurationesq; ipsæ plenæ sunt ac perfectæ: idcirco Luna exercet in eis vires plenas atq; integras, quare cùm critici sint cæteris pollentiores, ac pleniores, è peragratiōe Lunæ per angulos hosce potestates & vires sortientur: igitur cùm Luna deveniet ad primum angulum, criticus erit angulus primi septenarii, septimusq; dies, quum ad angulum secundum, erit angulus secundi septenarii, & decimusquartus dies, quum in tertium angulum, erit tertii septenarii, angulusq; in vigesimoprimo die, quum in caput, seu primam, in partem in qua erat, erit quarti septenarii angulus in vigesimo octavo. Hæc de causis criticorum: nunc de indiciariis dicamus. Anguli semipleni partibus mediatis collocantur. Distabat primus angulus à designato initii loco partibus 90. semiplenus verò partibus 45. interjacet, & ab initio, & à primo figuræ totius angulo. Distabat quidem primus angulus ab initio partibus 90. idcirco semiplenus ab utrisq; partibus quadregesima quinta collocabitur, ut in parte tauri 30. & hic primus semiplenus collocabitur. Interjacebat secundus plenus angulus è primo partibus 90. ut in decima quinta parte libræ, semiplenus horum, qui secundus est in parte videlicet è primo angulo, quadregesima quinta collocatur, ut in leonis, trigesimaltertius plenus angulus è secundo discrepabat partibus rursus 90. ut in parte 15. capricorni, semiplenus horum tertius videlicet in parte ab his mediata, ut in 30. scorpii constitutus est: quartus angulus plenus in designato initio loco è tertio in parte 90. collocatus, horum intercapedine è tertio in parte 45. comprehensus est: quartus semiplenus in parte videlicet aquarii 30. est: at semiplenus angulus è pleno, semiquadrangulus suo à semipleno quadrangulus: idcirco quaternus à pleno, septenarius, à semipleno, qua è re Luna his in semiplenis angulis vires exercet semiplenas, potestatesq; dimidiatas ex eo videlicet,

quòd

quòd semiconfigurationes sunt, ut semiquadrangula : quia igitur indiciarii sunt præliambulatorii non plenæ pugnæ, sed quasi dimidiati prælii, è Lunæ per hosce semiplenos angulos peragratiōe, quaterni indiciariiq; vires suas fortientur : igitur Lunæ constitutio in primo semipieno, primum indiciarium facit, ut quartum : constitutio in secundo semipieno undecimum. facit, in tertio semipieno collocatio, facit 18. in quarto semipieno constituto, facit vigesimum quartum. Hæc de indiciariis; de provocatoriis incipiamus. Quatuor, ut diximus, sunt dimidiati semipleni : erat enim angulus semipleni in fine lateris 45. partium : igitur dimidiatus semiplenus in parte è semipieno 22. & dimidiata parte constituetur : sunt igitur in quolibet quadrangulo duo semiplena dimidiata quadrangula, unumquodque partium 22. cum una dimidiata, hoc est, 30. minutiis. Primo igitur in quadrangulo primus semiplenus dimidiatus angulus in parte septima, & dimidiata tauri collocatur. Secundus in geminorum 22. & minutiis 30. Tertius in secundo quadrangulo parte leonis septima, & minutis 30. Quintus in quadrangulo tertio, in parte videlicet 7. minutisq; 30. scorpionii. Sextus in eodẽ quadrangulo parte sagittarii 22. & minutis 30. Septimus in quarto quadrangulo parte videlicet aquarii 7. & minutis 30. Nonus & ultimus eodem in quadrangulo parte 22. piscium, & minutis 30. His in semiplenis dimidiatis angulis Luna exercet vires semiplenas dimidiatas : idcirco è peragratiōe Lunæ per hosce provocatorii, sive intercidentes dies vires capiunt. Simili ratione & mensuris peragratiōe Solis, & annuis, peragratiōe cæterorum Planetarum, menses sive anni decretorii, indiciarii, ac provocatorii vires assumunt, & de provocatoriis satis. Quæ è re Galenum errasse proditum est : nam vel dies vires assumunt à numero ipso, aut à Lunæ per angulos peragratiōe, non è numero ipso, ut ipsemet Galenus consentit. Si verò à Lunæ per

Not. contra  
Galenum.  
angu.



angulos peragracione, nulla esse debet dierum numeratio, sed solum ad Lunæ peragracionem inspiciendum, ut hi dies critici sint, quibus Luna per angulos plenos decurrit, hi indiciarii, quibus Luna per semiplenos peragrat, hi provocatorii, quibus per semiplenos dimidiatos: sive igitur tertius, sive quartus, sive quintus alio numero constitutus, dies est indiciarius, quo Luna in angulum semiplenum devenit, & in cæteris idem colligito: mensium igitur & dierum enumeratio superflua est. Quod verò Galenus adjicit, quòd mensis esse debeat mixtus, eo videlicet, quòd Luna duplici potentia agit, nihil est. Nam virtus luminis evanuit post congressum, quare nulla est. Multa Apponensis & Picus contra Galenum scribant, quæ frivola sunt, & nostro libro dejecta, ils è verbis, quod Celsus inquit, patet, decimam quartam esse, septimo pollentior. Hippocrates verò septimum esse graviorem decimo quarto autumat. Primum quidem eo constat, quòd decimo quarto die Luna peragrat per diametram partē eam, quam initio tenuerit: diameter verò est pollentissimæ maleficientiæ, igitur ratione habita ad Lunæ cursum, decimus quartus est pollentior septimo: contra verò ratione habita ad virtutē, septimus est pollentior decimo quarto, quòd virtus tunc poller, & humor ad hæc gravissimus est: decimus quartus igitur ratione habita ad causam cœlestem æternam, pollentior est: septimus verò ratione ad causam corruptivā contra pollentior, de morbis mensibus, annuis vè, è peragracione Solis, cæterorumq; Planetarum idem colligito.

**Et hæc de causis criticorum.**

**DE CAUSIS CRITICORUM.**

**DE CAUSIS CRITICORUM.**

**DE CAUSIS CRITICORUM.**

EJUSDEM AUGUSTINI NIPHI,  
DE PROGNOSTICIS,

LIBER TERTIUS.

Enunciatum primum.

*Per eclipses, per crinitas stellas, per trium superiorum concursus, per chronocratorem, per luminaris conditionarii progressionem, per annuas geniture conversiones: de morbis, eorumq; processibus ac fine Mathematici predicere assolent. De eorum vero ingrauescentiis, per thema, casus, ac decursum Luna per angulos figura 16. laterum colligere consueverunt.*

**M**ULTIS & variis rationibus nam morbos colligunt ex genitura Mathematici, ut Ptolemæus in apotelesmatum libro 3. cap. 12. tamen ea, que frequentiori usu Medicus & Mathematicus potest ipsis in morbis observare, nunc compilavimus, cuius per ordinem prosequemur. Tres igitur sunt generata morborum, eclipsis videlicet ipsa, ut 1500. & quarto, & sextidivimus ab eclipsi, que præfuit, 1500. & uno: tot enim morbi singula estentia, ac varia morborum genera increverunt, ut plures homines interierint. Quod è crinitis ipsis stellis,

discursibus, trajectionibusq; atrocissimi (& præsertim primatum) morbi increverint, non tantum sapientes, ut Ptolemæus, sed vulgares animadvertunt. Et nos de his in libro nostro de calamitatum nostrarum causis scripsimus. Itemq; quod Saturni, Jovis & Martis conjunctiones, morbos ingenerent, exitia atrocissima faciant, multæ ac celeberrimæ historiæ tradunt, unde (auctore Johanne Æschido) 1347. ubi præcessit trium superiorum concursus in secundo pilcium decano, fuerunt tot pestilentes morbi, & tot ipso in mundo, quales nunquam antea videram, potissimum quum eclipsis, crinita stella, & hujus concursus in humanis signis contigerint, verum hoc Ptolemæus nullibi explicavit. Chronocrator (auctore Materno) is planeta est, qui genituræ totius dominus est, quem Latine, anni mensorem fingimus. Est autem ille, qui dominus ejus signi est, quod post natum hominem Luna, relicto eo signo, in quo est secundo loco, fuerit ingressura, ut si Luna prima natalis hora arietem habuerit, & post arietem ad taurum secundo loco transitum facit, Venus genituræ dominium possidebit, quia taurus signum Veneris est, & sic in cæteris signis. Rem hanc Maternus tertio suæ matheseos libro scribit, ab hoc mensuram annorum, & fines suæ vitæ docet colligere. Alii, ut Albumasar, Leopoldus, Bonatus, & ceteri recentiores Astronomi chronocratorem eum esse volunt, quem alcocoden, hylegii, dominum nos anni mensorem dicimus, hunc Algabicius docet colligere: hic enim si cardines genituræ possiderit majores suos annos protendit pro ratione suæ constitutionis. Si succedentes, mediocres, si cadentes minores, hæc qua ratione colligantur, nunc prætermittimus. Alii & quidem verius vitam metiri edocent à luminari conditionario, ut genitura, si diurna, à Sole, si nocturna, à Luna. Ita enim Luna præest nocti, ut Sol diei. Et propterea è Sole est vita ac Luna, ut Averr. 12. primæ physicæ. Ptolemæus

lemæus, quia non semper luminare conditionarium est in loco genituræ apto, addit ascendens, locus hic Chaldaicè hylegium, Græcè apheticus, Latinè fingi potest vindex, partem fortunæ eorum locorumq; gubernatores, quod qua ratione colligatur, Ptolemæus tertio apotelesmatum libro docet, & nos in libro nostro dicemus. Hæc omnia è genitura ipsa colliguntur, quo pacto per annuas genituræ conversiones vitæ termini: est autem annua genitura conversio, reditus Solis ad eundem punctum, in quo genituræ tempore stetit: ad tempus enim illud thema erigi solet, & pro rationibus stellarum de vitæ terminis prædicat Mathematicus, verum hoc consideratione indiget. Ea verò quæ medicis erunt diligenter observanda, sunt duo, ut observetur verum tempus, quo quis languere cœperit, & ad illud thema constituatur, & pro rationibus stellarum (ut dicemus) dijudicet. Secundò, ubi hoc fieri nequit, observetur verus Lunæ locus, quantum fieri potest, & ab ejus loco figura 16. laterum constituatur, & pro ratione Lunæ, dum angulos possidet, dijudicandum. Sed hac in re non parva contingit contentio de tempore veri morbi principii. Tum quòd medici non semper in eorum casibus præsentés sunt, tum quia rarò habent instrumenta correctà, quibus vera tempora colligere possunt. Dicit potest primò, quòd pro loco Lunæ in figura 16. laterum sat est crassa temporis ac platica notitia: sat enim est, non errare in numero finium Planetarum, hoc est, ne locus Lunæ in tantum erratus sit, ut fines quis erraverit, unde ad hoc sat erit habere verum tempus, pro hora vel duabus, plus vel minus, eò quòd Luna hora una non peragrat semper dimidiatum zodiaci gradum, & ita, ubi in duabus quis erraverit horis, in gradu vix errabit, & si error sit quatuor in gradibus, paucus est, & rem nostram non impediens. Sed de themate, quòd quis ad languoris principium erexerit, erit contentio, verum Bonatus docet

Notab.

docet hoc in themate constituere, ut in genituris sit per rationem interlunii vel plenilunii, ut Ptolemæus 3. apotelesmatum. docet, in scientiâ gradus ascendens, ut videlicet observetur interlunium vel plenilunium, proximum morbo, & colligatur quis quinque Planetatum in gradu plenilunii, vel interlunii plures auctoritates habuerit, & ad horam morbi illius prædicatoris, locus verus perquiratur, & cui duorum cardinum culmini videlicet vel ortui, vel medio cœli similis fuerit, dummodo signum culminans; vel ascendens præscindatur, cum tot numero gradus constituat. Hæc ascendens, sive culminis trutinatio hanc per rationem & rationalis est, quod dominator interlunii, quæcunq; in mense futura sunt, significet, ut Ptolemæus inquit enunciato 34. hæc in nostro libro de causis nostrarum calamitatum perquirantur, & in 5. apotelesmatum lib. Hæc igitur duo frequentiori usu medicis cōtingunt, ut scilicet figura 12. laterum, & thema languoris observentur, verum nos his in omnibus prognostica subscribemus, & generatim quidem, & quæ Ptolemæus in libro 100. enunciatorum approbavit, procedemusq; eo ordine, quo & Ptolemæus ipse ex universalibus ipsis: deinde ad particularia, ut medicis videlicet & Astronomis satisfaciamus.

---

### Enunciatum secundum.

*Morbis qui cœperit eo anno, quo eclipsis contingit in ascendente genitura, vel annua conversionis partilitor exitiosus est.*

**A**scendens plasticè ipsum signum est, quod in contactu est horizontis, ipsius regionis, qua quis in lucem editur, ut dicitur  
nunc

nunc editur in lucem Socrates, oriturq; , & horizonta nostrum tetigerit aries, aries est ascendens: ea verò pars, quæ particulariter horizonta contigerit, horoscopus Græcè, Latinè partile ascendens nuncupatur: hæc pars vitæ datur, siquidem principium vitale est, finis lethalis. Lumē præterea utriusq; luminaris vitale est, argumento quòd calorem ingenerat nobis ac humorem: calor autem & humor beneficæ ac generativæ sunt affectiones, ut tradunt Physici. Qua è re quum in eclipsi ipsa lumen deficiat, & vitæ pabulum deficere videtur, in solari quidem, propter luminis subtractionem, calor vitæ pabulum, humor vitæ radix subtrahuntur. Sapidè igitur Ptolemæus inquit, eclipsin contingentem in ortu, sive ascendente partiliter genituræ, vel annuæ conversionis lethalis est, ac exitiosa: bene igitur dictum est, quòd morbus, qui cœperit anno eo, quo eclipsis contigerit, in genituræ horoscopo, vel ejusdem conversionis lethalis est ægroto, cujus est. Recentiores Astronomi addunt, quòd morbus, qui cœperit anno eo, quo eclipsis in loco genituræ luminaris conditionarii contigerit, etiam lethalis est: nam luminare conditionarium, hoc est, diurnum, in diurna genitura, nocturnum, in nocturna genitura vitale est. Amplius, si contigerit, ut eum locum, qui vitæ index erat, quem hylegium Chaldæi vocant, Græci Aphetam, nos vivindicem sive emissorem appellamus: etiam in genitura tenuit chronocrator, quem alcocoden vocant, morbus lethalis est. Hæc omnia Mathematici observant: nos verò non, sed id tantum, quod in enunciatum est, quum ipsius sit Ptolemæi.

### Enunciatum tertium.

*Morbus qui cœperit in anno, quo trium vel duorum superiorum conjunctio contingit in ascenden-*

R tege-

*te genitura, annuæ vè conversionis alicujus  
egroti, lethalis est.*

**N**on minus recentiores Mathematici tribuunt cōjunctio-  
nibus trium superiorū, quàm eclipsibus. Imò Albumasar  
tribuit magis, ut nostro de causis calamitatum diximus, ad ho-  
rum observationem enunciatur hoc scribimus, quod nos non-  
dum experti sumus: conjunctio igitur illa trium minax est, &  
obnoxia, ut diuturnis observationibus deprehenderunt, quæ è  
re, ubi genituræ ortu alicujus egroti contigerit, eo anno illi exi-  
tium portendit, & ita morbus, qui eo anno illi acciderit, lethali-  
tis perhibetur, quia minax illa conjunctio vitalem offendit lo-  
cum, quem vivindicem vel emissorem diximus. Simili ratione,  
si in luminaris conditionarii loco contigerit, aut emissivo loco,  
in parte quam tenuit Chronocrator, ut in eclipsi dixerant.

### Enunciatum quartum.

*Morbus qui cœperit eo anno, quo progressio vi-  
vindicis, vel emissorii loci ad partes anarati-  
cas, id est, lethales venerit alicujus  
egroti, lethalis est.*

**Q**uod Græci dicunt *αριετραλον*, hodie ineptè directionem vo-  
cant, nos & inambulationem, & permeationem, &  
peragracionem, & progressionem, & profectio-  
nem rectè dicimus, quæ vox tempus, id est, & annos, & menses, &  
dies significat, quibus ad locū illum, quem quærimus, cui pla-  
nera minabatur, decursio spacio interiecto, progressio pervene-  
rit, veluti quum Mars ex primo capricorni gradu, arietis gra-  
du quadrangulariter ferit, sumpto graduum intervallo, gradi-  
busq;

busq; ipsis coæquatis. Quærimus post, quot annos, mensesque malum illud portenditur, quod tum quidē portenditur, quum ad gradum illum, id est, ad annum à gradu significatum progressio ipsa pervenerit: qua verò ratione progressio colligi debeat, Ptolemæus enunciato 25. edocuit, & 3. apotelesmatum. lib. lethalia genituræ loca (auctore Ptolemæo) tertio apotelesmatum, sunt Saturnus ipse, ejus diametrū & quadrangulum, interdum triangulum & sexangulum, etiam interdum Sol, quum Luna vivindex est, hæc qua ratione colligantur, Ptolemæus in tertio (ut diximus) libro aperuit, & nos in libro de vita genitorum aperiemus. Simili ratione, & de chronocratoris progressione dijudicandum est, hæc tria enunciata audienda sunt, dummodo lethales hæ partes, beneficis stellarum irradiationibus non afficiantur: ubi enim bonæ stellarum configurationes aderint, poterit ægrotus è morbo ipso evadere.

### Enunciatum quintum.

*Morbis qui cœpit, quum Luna fuerit in eo signo, quod malefica aliqua tenuit in genitura, siue in quadrangulo, aut diametro ejus, gravissimus futurus est: si autem malefica respicit, periculosior:*

*si in loco, ubi genitura tempore benefica fuerit, sine periculo erit.*

**E**Nunciatum istud Ptolemæi est in libro 100. enunciatorum: in genituræ themate, sunt quædam loca minacia, ac lethalia, quædam benefica ac vitalia: lethalia loca à maleficis sunt planetis, ut à Saturno & Marte: vitalia à beneficis, ut à Jove & Venere: maleficæ stellæ loca, hoc est, signa, & signorum partes,

R 2

quas



quas tenent genituræ tempore : maleficis & minacibus quadratibus, quæ toto perdurant vitæ tempore, afficiunt. Itemq; & loca diametra, & quadrangula similibus maleficis affectionibus affligunt. Simili ratione, & beneficæ stellæ bonis affectionibus, & signa, quæ genituræ tempore tenuerint, afficiunt, & illis triangula & sexangula, etiam toto vitæ tempore permansuris. Quæ è re, si quis ægrotare cœperit, Luna tenente eum locum, quem malefica affecerit genituræ tempore, gravissimis laboribus afficietur : tantoq; gravius, quanto magis eam tempore, quo ægrotare incipit, malefica respicit, & maleficis irradiationibus præsertim. Erunt enim duæ maleficæ affectiones conjunctæ, videlicet ea, quæ à genitura edita erat, & ea, quæ nunc ex maleficæ configuratione ingeneratur, ubi verò tempore, quo quis languere cœperit : Luna malefica irradiatione damnabitur, ignoreturq; quis ejus in genitura locus fuerit, nõ simpliciter Mathematicus mortem prædicere debet, sed gravem morbum laboriosissimumq; futurum esse, & hac ratione figura 16. laterum cum genitura comparanda est. Contra verò si quis ægrotare cœperit Luna tenente locum in genitura beneficum, bonisq; affectionibus sit irradiata : præceptum hoc ipse Galenus diligentissime observavit, præceptisq; observandis ubifieri potest.

### Enunciatum sextum.

*Noxium est, quum agri ascendens genitura ipsius figuris refragatur, neq; ad beneficum aliquem tempus pervenerit.*

**E**Nunciatum hoc Ptolemæus in centum enunciatorum libro tradit, ascendens (ut diximus) genituræ illud signum, vel

vel illius signi pars est, quæ horizonta contingit genituræ tempore. Simili ratione & ascendens ægrotationis illud signum est, vel illius signi pars, quæ quum quis languere cœperit, horizonta contingit: refragatur autē genituræ ascendens, figuris diametris ac quadrangulis, inquit igitur Ptolemæus, si ascendens ægroti diametrum aut quadrangulum sit ei signo, quod genituræ tempore horoscopabat, morbus erit gravis ac laboriosus: nam refragatio illa, maleficaq; ea qualitas ad hæc perdurare potest. Addit tamen hoc verum esse, si ad beneficum planetam, tempus, hoc est, distributio non pervenerit: ubi enim temporum distributio ad beneficum pervenerit planetam, potest ægrotus convalescere. Distributio temporum hoc pacto à Ptolemæo fit quarto apotelesmatum, ut quilibet planeta in genito decenniū habeat, mensesq; 9. Quæ quidem distributio secundum Planetarum seriem genituræ tempore è Sole in diurna genitura, à Luna in nocturna incipit Sol! Addit & Ptolemæus alibi, & inquit, male se habet ægrotus, quoties hora, qua languere cœperit, ascenderit ex iis locis una aliqua stella, quæ genituræ, aut felicibus stellis, aut domino ascendentis, sive culminis, aut etiam fortunæ parti adversa erant. Hęc prognostica per genituram, themaq; ægrotationis satis sint: nunc ad figuram 16. laterum transeamus.

### Enunciatum septimum.

*Super ægrotis criticos dies inspice, ac Luna perægrationem in angulis figura 16. laterum: ubi enim eos angulos bene affectos inveneris, bene erit languenti, contra male, si afflictos inveneris.*

R 3

Sunt

**S**unt in hac figura anguli 16. locus in quo Luna est, quum quis languere cœperit, est morbi totius initium, & tribuitur fini: primus angulus est in provocatorio primo constitutus, cæteri q; deinceps per ipsius Lunæ locum, quod morbi totius initium est: de primo die, de q; morbi fine Mathematicus ipse prædicere potest, siquidem finis & initii locus sit idem: per primi anguli statum, de provocatorio primo dijudicare potest, hoc est, de eo die, quo Luna ad eum pervenerit: per secundi anguli statum, de indicatiario primo, hoc est, de eo die, quo ad illum Luna pervenerit, prædicere potest: & ita per singulos angulorū status, de singulis diebus, quibus per eos Luna est peragratura, Mathematicus dijudicare potest, quicunq; illi fuerint dies, & quales. Simili ratione per menses in peragrationse Solis, & per annos in peragrationse cæterorum Planetarum, fieri angulorum observatio potest: ubiq; enim, ubi eos benè affectos inveneris, erit languenti die, mense, vel anno, quibus ad illos Luna vel Sol, vel cæteri planetæ pervenerint bonum, contra, malum. Sed quæ sint beneficæ hæ affectiones, aperiamus: benè igitur afficiuntur, tum Sol, tum Luna, tum cæteri planetæ, tum angulus. Primò, si cum eis corpore fortunæ ipsæ, beneficæq; stellæ conjungantur. Secundò, si beneficis irradiationibus illustrentur, potissimùm beneficis à stellis. Tertiò, si à fortunis ipsis beneficisq; stellis circudentur: ita ut in signo, vel partibus præcedentibus sint beneficæ, in sequentibus similiter, & hoc corpore vel lumine. Quartò, si in auctoritatibus fuerint beneficarum collocati, ut in domiciliis, altitudinibus, triangularitatibus, potissimùm finibus. Quintò, si suis in similitudinibus, quas hayz vocât Chaldei, collocentur. Sextò, si in cardinibus, vel cardines subsequenter. Septimò, si hospitor anguli benè etiam affectus sit: hæ sunt beneficæ stellarum constitutiones. Malæ verò sunt his contrariæ, quas facillè est colligere. An-  
madver-

madversione dignum, quod, ubi signa hæc cum genitura rationem habuerint, Mathematicus potest firma prædictione prognosticare, & de exitio, & de morborum cursu: ubi verò ignoretur genitura, nullaque cum illa ratio habeatur, de bono vel malo morbi statu ac cursu prædicere potest: non autem de fine certa & indubitata prædictione: inde Ptolemæus dixit, erit benè vel malè languenti, & non dixit esse exitium, vel salutem, cò quòd nullam cum genitura rationem fecit: hæc per hujus figuram satis. Ad thema casus transeamus.

### Enunciatum octavum.

*Ægroti dispositores malè si afficiantur, hora qua languere cæperit, erit languenti malum, si damnati, erit mortis periculum: contra: si benè afficiantur, morbus sine laboribus erit: ubi liberi sint, morbus sine periculo erit.*

**M**Alæ affectiones expositæ sunt enunciato proximo, & adhuc addimus Planetarum damnationes: damnatur igitur p̄ planeta primò, si combustus sit: secundò, si stellæ in octavo loco ab horoscopo constitutæ applicaverint corpore, vel radiis præsertim maleficis. Nam octavus locus est morti, exitioque ipsi attributus, nullamq; cum ascendente colligationem habens. Simili ratione, si stellæ in quarto ab horoscopo vel sexto constitutæ. Nam sextus morbis ascribitur, nullamq; cum horoscopo rationem habens, quartus fini tribuitur: estq; inum, & horoscopo quadrangulus: tertio, si à domino ascendenti, ad dominum domus exitii dumen transferatur. Nam octavus

**exitio**

*Collectio luminis.*

*Commissio virtutis.*

*Translatio luminis.*

exitio attribuitur, etsi è vita ipsa ad exitium est vires transferre, planeta tunc transfert lumen, quoties ipse velox existens, è velociori in tardius motum applicat, ut si Luna ipsa à Mercurio in Jovem peragrat: quartò, ut fiat luminum collectio aliquo è planeta graviori tardioriq; & ambo jungantur ei, & dispositio- nem suam quilibet eorù committat ei. Nam ipse perficit rem. Tribus igitur rationibus de mortis exitiùq; periculo Mathematicus prædicere potest. Primò, ut disposito- ribus, vel disposito- rum aliquis domino domus exitii applicet: ubi enim be- nefica, est periculum exitii, sed ferè leve. Secundò, si è dispo- sitoribus, vel disposito- rum aliquo in dominum domus exitii luminis fiat translatio, hoc est, ut separetur ab uno, alteri- que; jungatur, & hoc sine conjunctione sive applicatione, sive quavis alia configuratione. Tertiò, si disposito- rum omnium, vel alicujus & domini domus exitii fiat luminis collectio, in aliquo videlicet ponderosiori. Addunt & quartò, si ægroti dispositores omnes vel plures, vel aliquis combustus sit: iis enim quatuor rationibus de exitii periculo Mathematicus suspicari potest. De ægroti disposito- ribus nunc exponamus: ægroti gubernatores, sive dispositores, sive significatores, sive dominatores quatuor sunt: Luna generalis quidem, dominus ascendentis signi, ejusdem dominator, & totius thematis dux: dominus ascendentis cuiusve signi is est, qui in signo domicilium habet, ut arietis Mars, leonis Sol, cancri Luna: dominator verò is est, qui in signo signi- que; in parte horoscopante auctoritates plures habuerit, ut domum, altitudinem, sive (ut alii dicunt) exalta- tionem, fines, & triangularitatem, vel has omnes, vel plures: dux thematis est, qui toto in themate pluribus potitur auctori- tatibus. Sunt autem auctoritates naturales (Ptolemæo aucto- re) quatuor domus, videlicet exaltatio, triangularitas, & fines sive termini. Domus quidem dignitates quinq;, exhalationis quatuor,

quatuor, triangularitatis tria, terminorum duo. Maternus addit decanum sive faciem. Nam qui prima in thematis domo collocatur, dignitates habet 12. in decima 11. in septima 10. in quarta 9. in undecima 8. in quinta 7. in secunda 6. in nona 5. in octava 4. in tertia tres, in duodecima duas, in sexta unam. Dux igitur is est, qui plures in iis obtinet auctoritates dignitatesve, ac fortitudines sive pollentias, hæc tradit Leopoldus: animadversione tamen dignum, quod neq; Sol, neq; Luna ægroti dominatores esse possunt: nam (auctore Materno) totius domini dedignantur dominia fortiri. Ex his Mathematicus de ipsius morbi constitutione, deq; ejusdem periculo prædicere potest. Nam ubi dispositores, præsertim ascendentis dominus malè afficitur, morbus gravis est, ubi damnatur, periculosus, maximè si Luna etiam in damnatione ipsa convenerit: contrà, ubi benè afficitur, sitq; à damnationibus liber, morbus levis, & sine periculo erit. Tempus salutis ita designât recentiores, ut quando dominus ascendentis pervenit ad ejus vel domum, vel exaltationem, vel quum celerius directo graditur cursu, domino domus exitii ab eodem cadente, salutis ipsius tempus designat. Mortis verò, quum dominus ascendentis, & dominus octavi partiliter conjunguntur vel configurantur. Morbi speciem recentiores à triangularitate, per quam omnes & plures ægroti dispositores decurrunt, colligunt. Nam si cholericæ fuerit triangularitas sive triplicitas, morbus cholericus est, ubi melancholica, & ipse melancholicus, ubi & sanguinea, & ipse sanguineus, ubi pituitosa, & ipse pituitosus est. Quòd si Luna è planeta occiduo separatur, antiqua est infirmitas, ubi ab orientali, nova. Morbi variationem ita colligere docent, si in sexto ab horoscopo loco, signum contigerit mobile: idem morbus toto in decursu non persistet, ubi commune sit, morbus alterna vice alleviabitur, alterna gravis fiet, si fixum, morbus invariabilis persistet:

S

flet:

stet: morbi velocitatem ita edocent, si ascendens signum mobile fuerit, dispositores omnes, vel plures signa per mobilia peragraverint, velox erit morbus: contra vero, si fixa, mediocris, si communia. Alii ab ipsa Luna. Nam si Luna orientali applicat, velox: contra, si occiduo. Alii dicunt, si Luna vel dominus ascendentis ambo retrogrado applicent, tardus est morbus: contra, si directo & veloci: partem morbi quam minerant vocant, à duce colligunt. Nam dux supra terram corruptus patitur in dextro, si sub terra, in sinistro. Itemq; si cum Sole discurret in dextro, si cum Luna in sinistro: in principio signi constitutus, in superioribus partibus, in medio, in mediis, in finibus, in ultimis, in divino signo, in partibus anterioribus, in nocturno, in partibus posterioribus morbus est. Rursus in signo multarum ascensionum, ut sunt cancer, leo, virgo, scorpis & sagittarius, impeditus toto in corpore languor est, in signo mediocrium ascensionum, ut sunt taurus, gemini, capricornus & aquarius, in corde ubi in signo paucarum, ut sunt aries & pisces, virum est morbus ipse. Hæc omnia vera esse ipsis in questionibus, quæ exemplo fiunt & narrant & affirmant. Nos vero hæc ex iis sub suspicionis nota opinamur: vera autem ex genitura ipsa, & morborum significatoribus, ut Ptolemæus tradit: languor enim ex genitura est, & idcirco languoris thema cum genitura ratione habere, est consentaneum: verum quia in themate solent testes invicem adversari, Ptolemæus precipit ad thema plenilunii proximi, vel interlunii esse referendum: ubi etiam testes pro utraq; parte æquales fuerint, ad ferendam sententiam non est properandum. Et de prognosticis hæc satis: ad electionem medicamentorum transeamus: sunt autem duæ præsertim observationes circa sanguinis detractionem, vel manualementem, vel circa pharmacum ipsum exhibendum, & de iis breviter transigamus.

EJUS-



EJUSDEM AUGUSTINI NIPHI,  
DE MEDICAMENTORUM ELECTIO-

NIBUS,  
LIBER QUARTUS.

Enunciatum primum.

*Vis purgationis hebetatur, quum Luna fuerit Jovi conjuncta: quum vero maleficis configurabitur, periculosa.*



URATIONIBUS ipsis, quæ ad tempus differri possunt, præcepta ista sunt diligenter observanda: ubi verò morbus inducias non dederit, de præceptis non nimis curandum: nam minus tunc malum eligendum erit. Tunc ad rem venio, nostri corporis incrementa ad Jovem referuntur, quia vita nostra calido humidové constat, quarum qualitatum Jupiter est dominus: quoties igitur Luna Jovi copuletur, mirificum corpora nostra vigorem inde suscipiunt: quæ ubi vires majores sumpserunt, vim pharmacorum superant, & medicamenta ipsa concoquunt, ex quo fit, ut ea noxios ejicere humores nequeant, & inde vis potionis hebetetur. Saturnus præterea sua nimia siccitate corpus nostrum restringit, constipatq;, Mars sua exustione usq; ad sanguinis educationem concitat: igitur Luna, quæ nostros habet humores, nec Saturno, nec Marti pharmacandi tempore copulari debet, quum alter nimis astringat, alter nimis concitet.



## Enunciatum secundum.

*Quum Luna fuerit in scorpio aut piscibus, dominusq; ascendenti stella sub terra copulabitur, bonum est purgationibus uti: si verò copulatur stella supra terram constituta, potionem qui sumpserit, evomet.*

**T**Ria sunt signa humentia, cancer videlicet, scorpium & piscis, è quibus triangularitas, quam triplicitatem vocant, constat humida, quum itaque similia similibus vires addant, contraria demant, humida signa nunc plurimum adjumenti purgando corpori conferre: ubi Luna corporum ipsorum domina his in signis collocabitur, quòd debet expectare medicus, nisi cogat necessitas: nam Lunæ signiq; auxilio addito, majores vires educendis humoribus potio ipsa capit. Præmittitur cancer, quia non interioribus præest partibus, ut scorpium & piscis, sed pectori: unde Luna in his signis constituta corpora movet ad partes inferiores, sed in cancro, moveret ad vomitum. Sed quoniam maxima est ascendenti vis, inspicere medicum oportet, ut qua hora purgatio datur ægrotò, ascendenti signi dominus sit planetæ subterraneò copularus, quo duplicatis viribus noxiæ sordes trudentur inferius. Nam, si stella ascendenti domina jungatur stellæ, quæ cœlo superiore feratur, excitata nausea, movebitur stomachus, quem motum subsequens vomitus purgationem ipsam impediatur, quæ è re medicamenta ipsa non tantum temperanda sunt, ut salus consequatur, sed cœli stellarum vires miscenda, talis namque effectus, talesq; actiones aut passiones hic emergunt, quales stellæ cœlumq; emoliantur: Ptolemæus enunciato secundo, & de pur-

Enunciatum tertium.

*Membrum ne percutito, Luna existente in signo  
pradominante illi membro.*

**L**una totum corpus humectat: id tamē membrum humo-  
ribus affluentius implet, quod signo illi subiectum est, per  
quod ipsa discurrit, ex cuius nimia humectatione, magnum  
membro nocumentum affertur, si ferro tunc ictum fuerit, ex  
quo non modò difficilis, verū & periculosa curatio sequatur:  
siquidem ulcera, nervorum distentiones, aliaq; item mala con-  
sequi soleant.

---

Enunciatum quartum.

*Pueros in primo Luna quadrangulo, juvenes à  
primo in plenilunium usq; senes in secundo qua-  
drangulo, decrepitos hinc ad concursum  
minue, sed Luna ipsa cum Mar-  
te benè constituta.*

**N**Am, ut diximus, in prima parte, hoc est, è concursu in pri-  
mum quadrangulum usq; humectat, inde in plenilunium  
caefacit, inde in secundum quadrangulum exiccat, inde ad oc-  
cultationem infrigidat. Primum Lunæ tempus humores inge-  
nerat pueriles. Secundum juveniles. Tertium seniles. Quar-  
tum decrepitorum. Humores autem tunc minuendi, quando  
exuperant, & quoniam Mars sanguinem efferver, nisi Lunæ  
cum eo benefica fuerit configuratio, ut exagona, & trigona,

sanguinem nimis supercalefacit, vel venam ipsam elidit: non delunt, qui edoceant tempora enematum, clysteriorum, vomituum, epithematum, & ceterorum auxiliorum, itemq; & tempora conficiendorum medicamentorum, tum eductiva, tum compressiva, tum eliquativa, & cætera quæ medici auxilio ægrotis ipsis exhibentur, quæ enarrare longum esset. Ego verò Ptolemæi præcepta collegi, qui plura voluerit, perlegat Leopoldum, Bonatum, & cæteros, qui libros de electionibus scribunt.

Habes igitur, mi Quirine, libellum hunc, quem diligenter legas: quæ enim hîc scripsimus, nostra in ætate maturiori prodimus: quæ verò olim edidimus, in tantum recipias, in quantum tuo arguto videntur ingenio: plura enim ex juvenili calamo diximus, quæ nunc provectiori retineremus. Huac præterea nostrum in libellum currant medici, qui & curare, & pharmacari, & regere atq; prædicere exoptant: sine enim his in foveam sapiusculæ cespitabunt, in aniles fabulas trudentur, & eorum, quæ agunt, causas penitus ignorabunt. Currant & in hunc Mathematici nostrorum temporum, qui vanitatibus Arabum, maximè Albumasari, innisi, multa uti circulatores, aut fabulatores in eorum annuis emissionibus scribunt, & hoc, quia Ptolemæi præcepta negligunt: hunc enim non minorem facimus Aristotele, illum physicorum Deum, hunc Mathematicorum Monarcham, edam quædam nunc, quæ tibi mittam, ubi vanitates horum legere potes. Hæc, mi Quirine, à cinicis oblatrationibus, ac susurris malevolorum ut defendas, rogo. Vale.


---

*Ptolemæus* *si. verbo*: Luna significat ea, quæ corporis sunt.

*Pontanus*: Non solum aptè, verum etiam, necessario enunciatum hoc à Ptolemæo subicitur, quo docemur rationale esse,

esse, uti Lunæ motus à Medicis observetur, quem corpora ipsæ sequantur. Luna, inquit, significationem atq; imperium habet eorum, quæ corporis sunt. Dixit autem corporis, quòd ea, quæ spiritus sunt, Soli magis attribuuntur. Quòd autem Luna corporibus imperet, incrementa ac decrementa ipsius planè docent: siquidem excrecente Luna, corpora implentur, atq; humoribus exuperant, decrecente, magis ac magis evacuantur atq; arefcunt, id quòd in omni sylvestri materia cédenda, etiam à rusticis observatur. Namq; materia cæsa, cùm Luna lumine aucta est, quòd humidi fiat accessio, marcet, ac brevi etiã tempore carie conficitur, siquidem humidum ipsum suapte natura & faciliùs & citiùs corrumpitur. Contrà, materia cæsa decrecente Luna, diutius perennat: nam quòd tunc siccior atq; attenuatior est, non tam faciliè corrumpitur. Hoc ipsum etiam in conchyliis, cancrisq;, atq; in vulneribus capitis manifestissimè cernitur, estq; res clarior, quàm ut probatione multa indigeat. Non mirum igitur, si corpus febribus affectum, pro motu ac statu Lunæ aliàs majores, aliàs minores commotiones & paroxysmos sentit, quando etiam, ubi sanum ac firmum est, ad illius motum nunc abundè se implendo, nunc tenuiter extenuando naturaliter movetur.

F I N I S.







ROD. GOCLENII, MED. D.  
ASTROLOGIÆ GENERALIS

LIBER I.

CONTINENS GENERALES QUAS-  
DAM PRÆCEPTIONES ET CANONES,  
QUASI PROOEMIUM ET  
*προοίμιον.*

CAPUT I.

*Quo probatur, esse rerum futurarum præsen-  
sionem, & divinationem, qua sumitur ex astris  
prohibitam non esse, sed con-  
cessam.*



U<sup>T</sup> M<sup>A</sup>D M<sup>O</sup>DUM divinationes omnes  
in exilium relegare ac rejicere contumelia  
in Deum ejusq; opera est, sic omnes appro-  
bare, iisq; fidem adhibere, non tam super-  
stitiosum est, quàm impostoriū. Quantum  
enim scelus esset, ob eas præstigias, quas  
asperit operi divino diabolus, fidem dero-  
gare iis, quæ in natura causas habent manifestas, quæ ita condi-  
ta à Deo sunt, ut singulis actiones congruentes, & vires actionū  
efficitrices indiderit, terrestria cœlestibus hac lege & serie con-

A

junxe-

junxerit, ut sit perpetuus, harmonicusq; consensus & convenientia inferiorum cum superioribus admiranda. Quare impia, superstitiosa, & *ἀστυρολογία* prognostica & vaticinia, qualia sunt, quæ passim in Veteri Testamento per Prophetas damnantur, valere jubebimus, eaq; relegabimus ad autorem & patrem Diabolum: à Deo verò ordinata & facta, suisq; naturalibus causis viribusq; instructa, ut vel futura præfagiant, eaq; præfensione homines de iisdem commonefaciant, vel signa futurorum seu secutorum eventuum hominibus exhibeant, prudenter ac piè ab illis sunt secernenda. Sunt qui promiscuè omnes divinationes, cum primis verò, quæ ab astrorum influxu dependent, rejiciunt, & vesana planè rabie in Astrologiam debacchantur, stellisq; diversas inesse vires movendi & alterandi hæc inferiora negant, nugas esse & deliramenta asserentes, Leoni propriam vim, & quidem ab ariete diversam tribuere, Orionem nimbosum, Arcturum pluvium, & Caniculam fervidam appellare. Novi, qui de Astrologia primò optimè sentiret, postea publico scripto contra eam criminandiq; armis militarit, ob causam aliam nullam, quàm quòd à perito quodam Astrologo ex sinistro Planetarum positu mors ei violenta ex ferro prædicebatur, & ab alio exitus vitæ per casum ab alto: ferro, parum abfuit, quin in diversorio quodã pugione à Nobili Wirtembergensi petitus, vitam finierit, nisi hospitis aliorumq; ope esset servatus: casum ab alto tulit funestè fati, cum vinculis Wirtembergensibus se exoluturus de muro in terras, cõtexto ex omnis generis linteis funiculo, præceps delaberetur. Quemadmodum igitur nihil est sapientis gravitate indignius, quàm falsum sentire & defendere, sic maximè debilitati cerebri esse oportet, non cognita nec intellecta convitiis proscindere, quo ipso *ἀπὸ πρῶτης τῆς σταυρίας* produnt. Rectius fecisset, si piis precibus à Deo indefinenter contendisset, ut sinistra astri influ-

xum

xum mitigasset, vel planè pro sua Clementia divina avertisset, quàm quòd ira furiosè tam in artem ipsam, quàm ejus excultores est in vectus. Verùm ad propositum.

Duo autem sunt præcipuè, ob quæ Astrologiam in reprehensionem devenisse video: unum est difficultas percipiendi hanc scientiam, quâ fit, ut nulla videatur esse certa cognitio, & prædictio rerum futurarum ex astris, τὸ δυσδιώρητον efficit opinionem τῆς ἀκαταληψίας: alterum, difficultas evitandi ea quæ eveniunt, facit ut inutilis esse videatur futurorum ex astris præcognitio, τὸ δυσφύλακτον τῶν γινωσκίων efficit, ut judicetur à plerisque τὸ τέλος τῆς ἀστρολογίας εἶναι ἀχρηστον.

Ptolemæus c. 2. l. 1. quadripartitæ constructionis 4. præcipuè docet: 1. esse influxum astrorum in corpora sublunaria. 2. talem astrorum influxum sciri posse & prædici. 3. multas esse causas errorum, qui circa hanc artem solent contingere. 4. necessaria quædam esse ad percipiendam hanc doctrinam, quibus observatis nō faciliè quenquam aberrare posse in suis prædictionibus ex astrorum situ, natura, vi & efficacia, atque configuratione desumptis.

Etsi esse quidem influxum corporum cœlestium in hæc inferiora probatur tum experientiâ, tum ratione & demonstratione.

Experientiâ, ut cùm Sol proprio motu in zodiaco 4. anni tempora constituit, in quibus evidenter omnia mutantur: vere plantę germinant, animalia coeunt: caloris enim vivifici Solis affluxu ver, æstasq; frugum ac florum amœnitate exuberant, insecta quoq;, muscæ, angues, ranæ, hirundines, quæ brumali frigore semimortuæ, tabularum rimis, medullis sambuci, cavernis littorum, ac intra arborum caudices se illatebrarunt, reviviscunt: æstate fructificant plantæ, pulli animalium adolescunt: autumno cuncta arescunt & senescunt: hyeme contra-



hant se & silent, aquæ turgent & intumescunt: cùm item per motum diurnum ea dem fermè operatur in hominibus: nam manè lætior homo surgit, sanguis movetur, omniaq; veri sunt similia, dum sunt lætiora: post meridiem bilis est ferventior: prima noctis parte melancholia, post mediam noctem pituita movetur, somnus dulcis, & quies jucunda. Ægri quoq; à meridie ad medium noctis detefius habent, à media nocte ad meridiem melius. In floribus idem observamus. Manè enim aperiuntur, optimumq; spirant odorem, à meridie exarescunt, odorq; evanescit: sub primam noctem senescentes, absq; odore cōtrahuntur, à media nocte humectantur, roremq; excipiunt. Herbæ etiam quædam unà cum motu Solis diurno cōsensu quodam admirando circumaguntur, ut lupinus, cichorium.

Ratione & demonstratione: Primò, Deus dixit: Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem & noctem, & sint in signa, tempora, dies & annos, ut luceant in firmamento, & illuminent terram, hoc est, stellæ, & in primis luminaria distinguant, temperentq; idoneis qualitatibus tempora totius anni, moneantq; nos de venturis mutationibus temporum, virtute stellarum excitatis. <sup>2</sup> Corpora cœlestia lucidissima, quæ perenni motu, certisq; legibus circumferuntur, non sunt otiosa lumina, sed quæ, ut perpetuò lucent, ita quoq; suas vires & operationes continuè in hæc inferiora diffundunt atq; immittunt. <sup>3</sup> Qui prædictiones suas insuntunt, non ex cognitione rerum naturalium, neq; ex penetralibus philosophicis, sed desumunt, sed observationibus stellarum, earumq; configurationibus tam inter se, quàm ad Solem Lunamq;. <sup>4</sup> Manifesta experientia confirmat, Solis & Lunæ esse vires & influentias tam manifestas, quàm occultas in hæc inferiora. <sup>5</sup> Sed et quæ stellæ ejusdem sunt naturæ & substantiæ cum Sole & Luna, ergo verisimile est, & reliquas stellas suas vires in sublimi mundum

mundum effunderè, licet non ita manifestas, ut Sol, Luna, vel Mars. Nautæ, agricolæ, pastores, cæteri; homines indocti restantur, influentias esse astrorum in inferiora hæc corpora, idem; optimi quique, scriptores, ac Philosophi sinceriores, tum consensus plurimarum gentium confirmant. Quis enim non animadvertit, Lunam terræ proximam manifestè vim suam infundere in animata tum omnia, ut plantas, cum primis lunarias, beluas & pisces, quin & ipsum hominem, tum inanimata, ut maria, Oceanum tamè magis, quàm mare mediterraneum, Adriaticum sinum magis, quàm alias partes maris, mare magis quàm flumina, & flumina quædam magis quàm alia, ut Nilum. Ligna cædua magnam à Lunæ motu mutationem accipere in confesso est. Corporis humani singulas partes, agitatis scilicet vi Lunæ humoribus, affici, incommodum; percipere, Lunam per signum, cui membrum est subiectum, decurrente, morbos quosdam sideris hujus vi & influxu, ut epilepsiam, apoplexiam, lethargum, paralyin, catarrhos; non inferri tantum, sed exasperari etiam & recrudescere, totius mundi consensu, claris; experimentis habetur patefactum. Plinius ex Aristotelis sententia asserit l. 3. c. 98. nullum animal in Oceano gallico, nisi æstu recedente expirare aut extingui, quam tamen sententiam cum limitatione accipiendâ rectè monet L. Lemnius, l. 4. c. 11. de occ. nat. mirac. deprehenduntur enim nonnulli ex decursu aspectu; Lunæ, Oceani accessu, æstu; adventante expirare, pleros; in recessu ac fluxu subsidente opprimi. Siquidem in maritimis regionibus & tractibus, pro humorum redundantia & defectu diversa observatur emigrandi conditio & modus. Alii enim ex Lunæ decursu, cuius impulsu fertur Oceanus, intumescente fluctu, alii subsidente, vel intereunt, vel convalescunt, humoribus scilicet spiritibus; motu sideris vel agitatis, vel stupefactis. Sic in crisi morborum, hoc est, iudicando

*An sit generaliter verum, æstum maris recedente animalia extinguit*

cando de morte vel salute, qui ægri tenentur morbis in humorum plenitudine consistentibus, ut sunt pulmonis inflammatio, pleuritis, angina, apoplexia, lethargus, morbiq; pituitosi & intercutanei, quibus corpus intumescit, Luna plena, atque in orbem conglobata, ac æstu inundante, vel extingui omnes, vel saltem plerosq; eorum pro morbi ac corporis constitutione ac natura, manifestam alterationem subire, subsequente subita sudoris vel sanguinis eruptione, vel ex alia quavis parte humoris redundantis ac peccantis evacuatione ac profluvio, experientia clarum est. Sed hæcicos, tabidos, marcidos, nutriti q; defectu laborantes, silicernia quoque decrepitos, capularesq; senes, silenti Luna, fluxuq; subsidente interire observatum est. Et quò plenitudinis aut defectus causa major aut minor in corpore existit, eò vel serius vel citius morte sopiuntur. Sic qui aqua distenduntur, qui corpore opimo & extenso sunt aqualiculo, si ancipiti dubioq; morbo, & qui ex humorum abundantia contrahitur, corripuntur, accedente æstu, ac vergente in novilunium aut plenilunium sidere, statim opprimuntur. Nonnulli, ubi fluctum jam medium obtinet, alii cum in summo constiterit Oceanus, finem imponunt vitæ. E diverso, qui sicco sunt aridoq; corpore, macilenti, strigosi, squalidi, exanguis, extenuati, subsidente, labenteq; æstu, atq; in occidentem converso sidere, sensim obdormiscunt. Nonnulli pro virium defectu, defluxu medio, nonnulli extremo, portuq; vacuo. Nec verò solum ægrotorum corpora ab externis hisce motibus & influxibus afficiuntur, sed etiam, qui fruuntur inculcata sanitate, Lunæ vires percipiunt: verum quò quisq; magis ab optima temperie deflexerit, eò promptius doloribus infestatur, Lunæq; influxu & motu alteratur, præsertim si hujusmodi corpora vitiosis putrilaginosiq; humoribus abundant. Hæc de Lunæ vi & efficacia, æstuq; & motu Oceani non opinor quemquam

quam fore, qui tanquam vana & anilia figmenta cavillectur, nisi planè sit excors, cum his fidem faciat experientia, iisq; ratio suffragetur etiam in iis quæ inanima sunt, & sensu expertia. Pellibus enim animalium, ex quibus tegumenta adversus hibernû frigus conficiuntur, ut sunt Sebellinæ, amelinæ, cuniculorum, mustelarum, felium, leopardorum, lynceum, viverrarum, pantherarum, & id genus aliorum, æstivis mensibus, & subafrico vel austro flante detractis & avulsis, magna ex parte pili desuunt, citiusq; blattæ & tineæ iis innascuntur, quàm si aquilonio flatu hibernisq; siccitatibus & rigoribus detrahantur. Sed plura de his & similibus vide apud Plinium: in primis verò de pellibus cetosis vitulo marino, seu phocæ detractis, quæ accedente maris æstu rigescunt, piliq; eriguntur, rursusq; flaccescunt, eo subsidente, & L. Lemnium loco paulò ante citato. Nunc ad propositum.

## C A P. II.

*Astrorum influxum in hac inferiora posse præsciri.*

**I**D res quædam adè manifestæ & simplici quodam ordine procedentes, nec non à potentioribus causis provenientes, demonstrant, ut etiam ab hominibus imperitis, imò ab animalibus brutis, occulta quadam naturæ vi præcognoscantur. Ut sunt, quæ dependent à motu Solis, qui motus est omnium simplicissimus. Et ipse quoq; Sol potentissimus est, ut non facile ipsius influxus & decretum possit impediri. Ideoq; certò, & constitutis temporibus præscire possumus Solis effectus, ut tempora anni, mense Decembri hyemem, Martio ver, Junio æstatem, Septembri autumnum: Favoniorum post initium Februarii, & Etesiarum ventorum sub æstate, (quos sanè non ali-

ter

ter expectamus, atq; Planetarum reditum ad loca constituta) afflatum. Adde, quod aves nidificent, & piscium quædam genera, antequam tempora adveniant, gregatim se ad peregrinationes accingant. Deinde sunt alia quædam non ita manifesta, sed varietatem magnam habentia, eaq; non nisi à doctis & literatis, atq; in hoc studiorum genere exercitatis cognoscuntur, ut sunt, quæ à Lunæ, stellarumq; tam fixarum, quàm erraticarum cum Sole configurationibus dependent, cujusmodi sunt, evidentes temporum mutationes, procellarum & ventorum; fortuiti eventus, quos nautæ in siderum observationibus quodammodo exercitati interdum cognoscunt, qui certè, si majorem haberent astrorum scientiam, exquisitius ejusmodi prædicere etiam possent. Multò ergo magis hæc & alia tam manifesta, quàm obscura divinare poteritis, qui Astrologiæ præceptis, usûque est imbutus, ut si Astrologus ex simplicibus, & primis qualitatibus stellarum perveniat in constitutionem temporis, constitutionem hominum generalem, temperaturam singulorum, qualitatem corporis, qualitatem animi, sanitatem, morbos, aliaq; vitæ accidentia. Exempli g. si Soli jungatur Mars in Leone, arida primùm & fervens futura esset temporis illius constitutio: tum verò omnium hominum generaliter, & sub id tempus qui nascentur, erunt iracundi, animosi, audaces, ambitiosi, prompti & vehementes. Qui verò jam nati sunt, & quidem qui frigidam habent, & humidam temperamenti constitutionem, his conjunctio illa affert salutem, animiq; moderationem: illis verò, qui calido & sicco sunt temperamento, ardorem, astum, morbosq; biliosos accendit, reddit animum ad negotia præcipitem, facitq; debiles ac tabidos ex immoderata caloris & siccitatis intemperie, qua rorida humiditas absorbetur. Atq; ita apparet esse verum, quod Ptolemæus c. 2. l. 1. quadrip. text. 10. demonstravit.

## CAP. III.

*Artem Astrologicam, prædicendiq; futuras tempestates esse utilem & jucundam in omni vita.*

**S**cientia rerum futurarum per se tanquam utilis exoptanda est atq; addiscenda, ut quâ excellentius nihil excogitari possit. Valet enim plurimum ad animi cultum: nam in hac optimè versatus, rebus humanis magnam præstare potest utilitatem.

Ad corporis quoq; bona conservanda, & mala evitanda plurimum conducit, dum scilicet eventurum malum prævidemus, idq; maturè avertimus. Ac licet fortunæ bona non usque adeò splendida & magna promittat, non tamen propterea est negligenda: hac enim ratione tota Philosophia esset in exilium releganda, ex cujus assiduo studio rarò dignitates, honores, opesq; assequimur.

Sed & utilis ad agriculturam, nauticam, œconomicam & politicam est.

Fausta & felicia prævisa, hominis insolentioris animum faciunt moderatiorem, nec nimis exultantem rebus repente secundis, & ad voluntatem fluentibus.

Prævisa mala efficiunt, ut constanter, patienter, animoq; forti, absque consternatione & metu illa sustineamus, & quæcunq; adversa nobis eventura sunt, æquo animo perferamus. Quàm multis in occidentis angulo malè constitutus, & horrendo rubore fulgens Mars fuit funestus? quàm sæpè Saturnus eodem in loco calamitosus? quot ad patibula subvexit caput Medusæ cum luminaribus, & Marte in domo 8. quot plejades cum Saturno & Luna in undas mersere, & Saturnus in coeli medio, vel imo, quoties de alto dedit præcipites? Has & simili-

*Nota dit:*

B

les astro-

les astrorū constitutiones, qui ante sciunt & intelligunt, quàm effectus ipse consequatur, perpetuò recordantur illud Clau-  
diani:

*Nec tibi quid liceat, sed quod fecisse decebis*

*Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.*

Quin & piis precibus à Deo possunt contendere, ut sinistra astra alicujus influxum pro divina sua elementia vel mitiget, vel plañe avertat. Utilis igitur est futurorum scientia, tum ad animorum immoderatos motus impetusq; coercendos, tum ad Deum creatorem per excellentissimas creaturas coelestes, illarumq; vires, cognoscendum, diligendum & timendum, ejusq; admirandam omnipotentiam & sapientiam piè & sanctè perpendendam. Eant nunc Astrorum Mastiges, ringantur, indignantur, Astrologiamq; tantisper inutilem esse, incertamque vociferentur, donec con vitiiis saturati sponte abstineant. Verissimum enim de illis est illud Telemachi apud Poëtam, *λοιγῶν ἀλοιτ' ἰοῦμαθ' ἢ ἰσθ' ἀδυνατίης ἀλλήλῃ*, infirmi sumus, & non docti depugnare.

#### C A P. IV.

*Ob quas causas pradictiones Astrologica  
sape fallant?*

**E**Æ consistunt vel in personis, ut negligentia, imperitia, avaritia & ambitione eorum, qui hanc artem profitentur, quae quidem tolli & mutari possunt: vel in rebus, ut difficultate rerum Astrologicarum, materia nobilitate & excellentia, mixtionum & configurationum coelestium varietate, & discrepantia observationum & recentiorum & antiquorum, & hæc tolli non possunt: deinde in Astrologicis multa sunt observanda, quæ astrorum promissa augment, quandoque minuunt vel

evcr-

evertunt, quæq; diligenti solertia possunt imminui quidem, non verò tolli, ut sunt natura seminis, parentes, locus in quo nascimur, ut montosus, profundus, aridus, aquosus: consuetudo, quæ constat religione, legibus, moribus, & naturæ principis. Educatio, cui famulantur parentum mores & cibi, conditio fortunæ, affines & propinqui, amici, ars, studia & conversatio. Deniq; quædam consideranda sunt, quæ acciderunt nato, ut eò melius intelligatur, quantum augeantur vel minuantur influxus stellarum. Quicquid enim in mundo evenit, vel fit fatali necessitate seu naturali lege, quæ generalis est, & à generali cœlorum constitutione oritur, estq; firmior, quàm ea, quæ fit ab astris: vel ab astrorum influxu, idq; ita evenit, ut evitari possit, studioq; ac diligenti industria emendari, propterea quòd à propria dependeat nativitate: vel ex ignorantia hominum, & non propter vim & efficaciam causæ universalis. Unde Astrologia cõsiderat vel universale, quod dupliciter sumitur <sup>1.</sup> quod multa continet, ut populus, gens, provincia, civitas, & hoc est plerumq; minus notum singulari: <sup>2.</sup> quod communi & indiscrèta cognitione notum est, cuiusmodi sunt generales temporum constitutiones, quæ pendent à Sole, & dum præparamus nos adversus hyberna frigora: navigationes, ubi Lunæ congressum cum stellis fixis tempestuosis evitamus, ut orionis, arcturi: & plenilunia in serendis seminibus, plantandis & inferendis surculis, jumentisq; admittendis.

Vel singulare, quod est certa rei quantitas & mensura, quæ per stellarum mixturas, figuras, & configurationes fit, cuius cognitio ob 3. causas negligitur, <sup>1.</sup> dum existimatur insensibile id esse, ideoq; negligendum. <sup>2.</sup> Scientiam stellarum in situ, motu & loco esse difficilimam, ideoq; inutilem esse illius investigationem. <sup>3.</sup> Putant primam causam seu naturam ad eò esse potentem, ut avertere possit, quæ velit. Per naturam intel-



ligit Ptolemæus potestatem stellatum in signis amicis vel inimicis, situm, motum, configurationem ad Solem, & generaliter omnia, quæ extra cœlum non extenduntur. Per vires intelligit, calefacere, infrigidare, humectare, exsiccare, esse beneficâs, esse maleficâs, significare ventos, imbres, divitiâs, paupertatē, efficere animos magnos, humiles, avaros, doctos, sapientes, & generaliter omnia, quæ pertinent ad hæc inferiora & sublunaria.

## C A P. V.

*De providentia, fato & necessitate.*

**M**ercurius ille Tr. sublimis inter primos Philosophus scriptor, providentiam, necessitatem & fatum distinguens, ait: Providentia est perfecta & absoluta ratio cœlestis Dei, cui duæ cognatæ facultates, necessitas & fatum. Et fatum quidem subservit, ministratq; providentiæ simul & necessitati, at fato subserviunt stellæ. Nam nec fati vim effugere quisquam potest, nec cavere sibi à vi & potentia stellarum: hæc enim tela & arma fati, cujus arbitrio cuncta efficiunt naturæ atq; hominibus. Atq; hoc fatum, dicitur Mathematicum, quod necit. fit miter actiones, eventusq; omnes ad positum stellarum.

Ab hoc differt Physicum & Naturale, ordo videlicet causarum naturalium, cum causa gignit ex se causam, seu, cum certum idemq; producit effectum. Et hoc sensu, quod homo hominem gignit, fato fit, quod moritur, ab internis, & sine aliena vi, causis, fato fit: quod homo serpentē gignit, & monstrum, præter fatum fit, quæ locutiones Virgilio & Ciceroni non displicuerunt.

Stoicum verò fatum necessitas est rerum actionumque omnium, quam nulla vis rumpere potest. vel secundum Chrysippum,

*Fatum Mathematicum.*

*Fatum Physicum.*

*Fatum Stoicum.*

fippum, vis spiritualis, ordine universum hoc gubernans : quæ  
 definitiones non adeò nimis abirent à recto & vero, si Deum  
 omnium auctorem trigis fati non subjicerent, & actiones item  
 internas, & nostræ voluntatis. Sic enim tolleretur humana li-  
 bertas. Sed & ipsi Stoici, fati interdum nomine abutentes, &  
 providentiam, imò Deum ipsum intelligunt, sanio-rem scilicet  
 mentem nacti. Nam Chryfippus fatum quodam in loco dixit  
 providentiæ æternam rationem. Et Seneca ex eadem mente  
 auctorem rerum & naturarum appellat fatum, l. 4. de benef.  
 c. 7. Nec non Pancretius Stoicus, Deum ipsum dixit esse fatum.  
 Nam cum fatum nihil aliud sit, inquit Seneca, quàm implexa  
 series causarum, illa est prima omnium causa, ex qua cætera  
 pendent, quæ certè tam piè sunt dicta, ut calumniaria nec  
 ipsa calumnia possit. At si fatum accipiatur propriè pro dicto  
 & jussu divino, definitur series ordoq; causarum, pendens à  
 consilio divino, seu immobile providentiæ decretum, quod  
 singula suo ordine, loco, & tempore firmiter reddit. Ab hoc  
 rursus differt providentia, quæ vis est & potestas in Deo, omnia  
 videndi, sciendi & gubernandi: consideratur igitur communi-  
 ter pro vi universa indivisa: fatum verò partitè & in rebus ipsis,  
 illa in Deo, hoc in rebus est & intelligitur, unde rectè dicitur,  
 hoc fieri meo bono vel malo fato, quod de providentia dici ne-  
 quit: nemo enim rebus ipsis eam tribuet citra impietatem vel  
 irrisum, cum ipso fato sit quiddam præstantius, imò etiã prior,  
 & fatum in iis spectari debeat, ad quæ pervenit, non à quo ve-  
 nit. Quòd si tamen originem fati quis respexerit, id est, Deum  
 & providentiã, constanter affirmandum est, necessariò omnia  
 fieri, quæ fato fiunt: unde tamen ne minimum quidem sequi-  
 tur, Deum *αυτορρον* mali vel auctorem esse: nullam enim vim  
 infert voluntati fatum, quoniam fatum est velut præfultor, &  
 funem ducit in mundi hac chorea, ut eleganter loquitur Lips.

sed ita, ut partes aliquæ nostræ sint volendi semper aut nolendi, hoc est, liberè peccemus: sciente quidem Deo & providente, sed non cogente. Ex fato deniq; emergit necessitas: si enim Deus est, providentia est: si providentia, fatum, id est, decretum & ordo rerum: si istud, firma & rata eventorum necessitas. Sed vertenda prora est, & removenda navis ab hac Charybdi, quæ multorum ingenia absorpsit. Euclides olim interroganti multa de Diis, per commodè respondit, cætera quidem nescio, illud scio, quòd odère curiosos. Idem censendum est de fato, quòd aspiciendum est non inspiciendum, credendum, ut sit, cetera si ignorantur, parum peccatur. Plura de fato & providentia vide apud Lipsium, l. 1. de const. c. 19. 20. 21. 22. &c.

## C A P. VI.

### *De subjectis Astrologia.*

**A**strologiæ porrò subjecta sunt stellæ fixæ seu firmamenti, Planetæ 7. partes cœli, nec non quædam ejusdem apparentiæ.

Stellarum fixarum numero 1022. ad 48. imagines seu signa redactarum quædam sunt in zodiaco, quædam extra. In zodiaco sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo, libra, scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius, pisces.

Ex his cardinalia sunt aries & libra, in quibus æquinoctia, cancer & capricornus, in quibus fiunt Solis stationes & conversiones, unde etiam tropica dicuntur.

Extra zodiacum sunt vel septentrionalia numero 21. vel meridionalia, numero 15.

Planetæ sunt Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, qui suos quosdã habent proprios, eos tamen diversos & dispares motus, unde erraticę stellę appellantur, à motus

scil.

scilicet nunc acceleratione, nunc inhibitione, nunc velut subsistētia, & quandoq; etiam reciprocatione, quæ retrogradatio dicitur.

Partes cœli considerantur, vel secundum longitudinem ut 12. signa zodiaci: vel latitudinem, id est, distantiam ab ecliptica, vel declinationem, id est, distantiam ab æquatore, & utrobique sunt septentrionales vel meridionales: vel situm, ut in medio cœli, imo cœli, domo prima, id est, oriente, vel occidente, id est, septima: vel denique, secundum substantiam, ut aliæ sint calidiores, aliæ frigidiores, aliæ humidiores, aliæ sicciores, aliæ beneficæ, maleficæ, masculinæ, foemininæ, steriles, foecundæ, &c. Ptol. cap. 4. 1.

## C A P. VII.

### *De divisione Planetarum.*

**D**ividuntur Planetæ <sup>1.</sup> ratione lucis, <sup>2.</sup> ratione temporis, <sup>3.</sup> ratione loci, <sup>4.</sup> ratione qualitatis.

Ratione lucis in luminaria & Planetas: luminaria sunt Sol & Luna, quia plurima abundant luce: habent enim luminis tantū, ut interdiu videantur, aliasq; stellas obumbrēt: estq; Sol luminare diei & majus, Luna luminare noctis & minus.

Ratione temporis in primarios & secundarios: primarios, ut Solem, qui est luminare primum, & Lunam, quæ succedit primo: differuntq; à Planetis 4. modis: potentia, claritate, cognitione, & motus simplicitate, quibus illis præferuntur. Secundarii, ut Saturnus, Jupiter, Mars, Venus, Mercurius cognoscuntur visu, acie visus, loci notitia, instrumentis.

Ratione loci & ordinis, & respectu Solis, superiores dicuntur Saturnus, Jupiter, Mars, inferiores Venus, Mercurius, & Luna. Sol medium tenet locum.

Ratione qualitatum, Saturnus est frigidus & siccus, scilicet

cet

et quoad nos multum refrigerat, quia calor in eo paucus, unde etiam parum siccatur. Plurimum enim abest à Sole, ideoq; simpliciter minus calefacit.

Aut igitur Planetæ sunt temperatè calidi, frigidi, humidi vel sicci, aut immodicè. Temperatè calidus est Jupiter & stellæ fixæ de Jovis naturæ. Temperatè humida est Venus cum stellis fixis suæ naturæ. Immodicè frigidus est Saturnus cum suis fixis: Immoderatè calidus est Mars cum stellis fixis suæ naturæ. Sol calidissimus est omnium, sed moderatè, idq; ob robur sideris potius quàm corporis magnitudinem, sicut Luna Planetarum est humidissimus, suaq; luce plus agit in terram, quia elevat vapores humidos, non habet à quo impediatur, & propter virtutem Solis habet vim calefactoriam, ut sic utroq; lumine sit efficax, Solis calefaciendo, suo & nativo humectando. Mercurius sua natura exiccat, sed aliis sociatus junctusvé, naturam illorum assumit indifferenter.

*Canones Astrologici ex Ptoleom. quadripartitis. a. i. u. q. peritæ Astronomicæ congesti, rationaliq; experientia firmati.*

Notentur hinc regulæ & canones sequentes in prædictionibus maximi usus.

1. Virtus omnium siderum sequitur magnitudinem sideris, lucisq; claritatem vel densitatem.
2. Omnia astra sunt calida, quia lucida, & quia omnia operantur, id quod apparet in Saturno, qui caliditatem exercet in lapidibus, metallis, herbis, arboribus, animalibus quibusdam, ut scorpionibus, scarabæis, & hominibus, sed in his noxiam.
3. Omnis Planeta, omneq; sidus talem habet virtutem, qualem habet impressionem.
4. Planetæ, qui abundant plurimum lumine, puro atque tenui, dum trahunt multos vapores, & parum resolvant, scilicet humectant, ut Luna & Venus.

Astra

Astra quæ mediocriter trahunt, & mediocriter resolvunt, temperatè sunt humida.

Astra quæ non trahunt, & plurimum resolvunt, sunt valde sicca, ut Mars & fixæ de natura Martis.

Astra quæ non trahunt, sed parum resolvunt, parum etiã sicca sunt, ut Saturnus & fixæ de natura Saturni.

Velocitas motus magnam vim habet in inferioribus Planetis, multum in Venere, plus in Mercurio, plurimum in Luna, sicut in tribus superioribus non tantum facit velocitas, quàm in inferioribus.

Siccitas in stellis non pendet à Sole, sed à calore proprio, & caloris qualitate.

Luna lumine plena benefica est, fortiterq; benefacit, quia satis calida est pro humidi ratione: juvatur enim lumine Solis denso, puro, tenui, unde vim accipit calefaciendi. Vacua verò lumine debilius agit.

Maximè humectat in quadraturis propter terræ propinquitatem, & maximè in quadratura postrema, tum etiã Oceanus æstuat. Unde, quia in quadraturis est humidissima, maximè putrefacit, quod pestis tempore experimur.

Plena lumine magis calefacit propter quantitatem lucis hausta à Sole.

Omnes stellæ coram Sole lumen, splendorem & vires amittunt: Solis verò intenduntur.

Vires Planetarum intenduntur & debilitantur, juxta eam configurationem, quam habent ad Solem.

Cum Sole existentia sidera, & radiis Solis oppressa, exiguas vires obtinent.

Stellæ quæ supra verticem alicujus regionis sunt, plurimum in illa possunt, quæ autem remotæ sunt, tanto possunt minus, quanto à puncto verticali sunt remotiores. *Notab.*

C

Quæ

Quæ simul oriuntur & occidunt cum aliquo Planeta, plurimū possunt, viresq; addunt illi Planetæ, quo cum oriuntur vel occidunt.

Quæ Septentrionalem habent latitudinem, in nos, quæ verò meridionalem, in habitantes versus meridiem efficacius agunt, idemque de declinatione septentrionali & meridionali intelligendum.

Quæ in zodiaco sunt & linea ecliptica, vel proximè apud illam, efficaciores sunt. Sic quæ inter 3. gradum latitudinis sunt usq; ad 8. quia corpore Planetis omnibus junguntur, excepto Sole, qui eclipticam non egreditur.

Majores parvis sunt efficaciores semper.

Lucidiores omnia illustria faciunt sive bona sint, sive mala: tenebrosæ obscurant mentem & intellectum: densam quoque habentes lucem efficaciores, raram debiliores: plurimum micantes, ut Sirius magnas turbationes efficiunt, maria agitant, & mentes hominum inquietant.

Omnia astra Solis effectus moderantur, illiusq; virtutem in hæc inferiora augent vel minuunt: ipse autem principalis causa est omnium.

Omnes Planetæ, omniaq; sidera Solis motum observant, ita ut sit mensura siderum omnium, quæ in cælo sunt.

Evidentes habent effectus stellæ omnes, si primum in horizonte emerferint, & maximè ante ortum Solis: si cor cæli occupaverint, vel in occasu fuerint junctæ alicui Planetæ, & in eadem declinatione ab æquatore.

Sol dum confurgit, purus est & nitidus usq; ad meridiem: pellit enim vapores, non trahit, neq; excalefacere multum potest, cum sit novus. Itaq; illa cæli ac temporis pars sicca est, contraria humida. Et idem Sol oriens humidum vaporem exccat: ideoq; est siccus, & venti Orientales siccant.

Ventus

Ventus Orientalis humidus est, & pluviosus in Italia: Occidentalis verò siccatur, & serenitatem parit.

Altitudines, exaltationes & dignitates reddunt Planetas meliores.

Planetæ licet in stationibus sint debiliores: tamen quia sunt firmi in uno loco, plus operantur: debilis enim assistens plus operatur, quàm validus vagans, Intellige autem de Planetis superioribus.

Non solum Planetæ considerandi sunt; & illorū mixtionis & configurationes, sed & mixtiones cum stellis fixis, & cum locis cœli habentibus familiaritatem cum ipsis: familiaritas autem ista Planetarum consistit in radiis, dominiis, conjunctionibus, & æqualibus ascensionibus.

Luminaria vicem Regis & magistratus gerunt, & ex æquo omnia dispensant.

Jupiter & Venus amicorum vices referunt, iccircoq; dicuntur benefici.

Saturnus & Mars inimicorum, ideoque malefici appellantur, ille quod immodicè refrigeret, hic quod cum calore exiccet.

Venus calefacit & humectat, opera ejus validiora sunt propter multitudinem & luminis & substantiæ innati caloris: ideoq; fecundior est, vitæq; dat longitudinem. Jupiter temperatior est.

Mercurius Planetarum, quibus miscetur, assumit naturam, estq; in humanis actionibus efficax, ut quæ omnibus se accommodet, partim bonus, partim malus, quandoque medicus, neq; bonus, neq; malus, neq; dans, neq; accipiens.

Quantò sidus est majus, ac motus velocior, eò etiam effectus sideris sunt manifestiores, ut opera Solis sunt manifestissimi.



festissima, postea Lunæ, Veneris & Mercurii, qui celeritate Venerem superat, ut hæc illum magnitudine.

Tria sunt quæ faciunt ad hyemis temperiem, Mars in cancro & leone, Saturnus in aquario, & Jupiter cum Sole: nam Saturnus cum plurimum abest, frigus augere non potest: Mars verò est quidam parvus Sol: Jupiter deniq; cum Sole calorem illius maximè fovet augetq;.

Hyems sæva, & æstas temperata fit ex contrariis, ut si Sol, Mars vel Jupiter sint in aquario, & Saturnus in cancro vel leone.

Stellarum fixarum opus manifestius est opere trium superiorum, earum dico, quæ conspicuæ sunt magnitudinis cum parva latitudine.

Majore est vis astrorum, quàm ut quisquam eam æstimare possit: nam legum & imperiorum mutationes, naturæq; miracula, ( non illa quæ divina fiunt providentia ) ab his procedunt.

*Notab.*

Per Astrologiam præcognoscere possumus mutationes, quæ sunt per aëris transmutationes, & in mutato aëre ambiente simul corpora nostra primis qualitatibus immutantur, inde corpus & animus, temperamentumq;, sanitas, morbi, vitæ brevitæ & longitudo, & quæ unicuiq; horum sunt conjuncta, ut corpori res familiaris atq; convictus, animo existimatio & dignitas, ad quæ corporis animique incommoda accedunt casus.

Sunt quædam constitutiones generales adeo potentes, ut homines per ejusmodi graves affectus terræ, aquæ & aëris superentur.

Si Mars in Leone fuerit cum Sole, calor producitur & siccitas: indeq; febres acutæ, uno loco magis quàm in alio, plus in viris quàm mulieribus, & biliosis atque exercitatis, quàm  
pitui-

pituitosis, & in otio degentibus, & in his multo vini potentioris potu aromatisq; utuntur, quàm qui contrariis, & locis pestilentibus, quàm salubribus.

Maximè illustres effectus sunt Solis, Lunæ & stellarum fixarum illustrium, quæ proximè ad viam Solis accedunt.

Quæ æqualiter moventur, tepescunt : quæ verò modò velociter, modò tardè, qualitates magis excitant : non autem substantiam mutant.

Sol secundum substantiam calidissimus est, secundum qualitatem impressam moderatè calidus ac siccus.

Uniuscujusque sideris proprium lumen est diversum ab aliis magnitudine, multitudine, tenuitate & celeritate : quòd verò reflectitur, Solis est purissimum, tenuissimum & densissimum.

Jupiter cum Sole & Luna foecunditatis autor est.

Nullus superiorum potest esse valdè humidus, nec ullus inferiorum valdè siccus.

Luna & Mercurius homines faciunt inconstantes, & ingenia vagabunda, quia neuter horum quiescit unquam.

Lunæ motus quia est perpetuò manifestus, ideò lunaticorum instabilitas est omnibus cognita, unde etiam nominatur stultitia.

Mercurii instabilitas dubia est, nec adeò manifesta, iccirco calliditas appellatur, habetq; speciem prudentiæ, quamvis vera prudentia non sit, sed quædam natura instabilis & dolosa.

Mercurius Orientalis à Sole remotus, & Lunæ propinquus, aut in illius configurationibus humectat tantum, quantum Sol calefacit.

Jupiter temperamentum habet supremum, & maximè beneficus est, quia calor humido dominatur perfectè.

Venus mediocriter temperata est propter humidi abundantiam.

Luna minus temperata & benefica propter caloris paucitatem: parum enim dominatur humido.

Luminis magnitudo prima est in Sole, postea Jove, quoad robur, inde in Luna, quoad densitatem ac terræ propinquitatem, postea Venere, Marte, Mercurio, Saturno.

Luminis temperies in Jove optima est, postea in Venere, deinde Luna, in Mercurio mediocris atq; mutabilis, prava in Marte & Saturno.

Sol fortunarum maxima est, nec ullus Planeta magis est beneficus.

Orientalis Planetæ humidiores sunt occidentalibus, luminis quantitate, non qualitate.

Stellæ fixæ majores sunt efficaciore, parvæ debiliores.

Stellæ fixæ quia plurimum absunt à terra, & motu proprio feruntur tardissime, ideò vis illarum ad terram non pervenit, nisi mixtum & impertitum Planetis.

Stellæ fixæ propiores Eclipticæ beneficio Planetarum, qui illis junguntur, vires suas ad nos transmittunt.

Stellæ fixæ cum Planeta ejusdem naturæ effectus habet evidentissimos, cum contrario obscurissimos.

Stellæ fixæ cum Sole maximos habent effectus circa vitam & honores, cum Luna circa fortunam.

Planetæ in opposito vel quadrato Solis, si fuerint in ipsis punctis, ita se habent. In Stationis primæ primo puncto tantò sunt calidiores, quantò humidiores, antea humidiores quàm calidiores, post sicciore quàm calidiores: in ipso verò puncto opposito tantò calidiores, quantò sicciore, atq; hîc protinus fiunt sicci ac frigidi, sicut siccitas augeri incipit, usque ad stationem secundam, inde siccitas remittitur: frigiditas verò augeatur, usq; ad medium inter stationem secundam & occultationem, ubi consistit debilis.

Cor

Cor cœli est validius omnibus, postea ascendens, sed in-  
vita & affectibus animi corporisq; ascendens est validius, post-  
ca 7, 4, II, 9, 2.

Jupiter præstat temperamentum, quia virtutes, boni mo-  
res & naturæ robur, consistunt circa temperamentum, unde  
hæc omnia Jupiter significabit, & simul honores & divitias: ta-  
lia enim ex moderatis proveniunt a cœlionibus non extremis.

Ex deterioribus concursibus, qui in cœlo fiunt, non est  
pejor, quàm Martis & Saturni in cancro.

Causæ universales effectuum sunt potentiores particu-  
laribus, & generaliores minus generalibus.

Causa debilis universalis non potest vincere validam pro-  
priam.

Causa universalis vincit singularem, ubi par est magnitu-  
do effectuum significatorum.

Ex eclipsibus magni effectus proveniunt.

Judicia temporum in magnis eventibus sumuntur ex e-  
clipsibus: partes verò temporis, quæ interceptantur inter ecli-  
pses, ex stationibus & exortibus Planetarum heliacis.

Quæ diu manent (ut conjunctiones pluribus diebus ma-  
nent) majores effectus & efficaciores producunt, quàm quæ  
minus; (ut oppositiones, quæ una die transeunt.)

Conjunctiones magnæ, nisi ab eclipsibus vim recipiant,  
non sunt magnificandæ, quamvis sint quædam generalia, quæ  
ex magnis habentur conjunctionibus.

Conjunctiones in signis aqueis, quia constituunt trigo-  
num Martis, significant multa bella, morbosque malignos &  
contagiosos propter cancerum & scorpion, Mahumeti quoq;  
ferocitatem: in signis igneis, imperiorum & monarchiarum  
constitutiones propter Solem & Jovem in illis dominantes,  
sterilitatem quoque magnam: in terreis, & quidem in tauro si

fiunt

fiant, terræ motus, inundationes, in capricorno destructionem eorum, quæ sub trigono aqueo sunt, constructa: in signis aëreis, monarchiarum sub trigono igneo constitutarum everisionem, vel translationem de parte una in aliam, tum Cometarum apparitiones.

Stellæ verticales magnam habent vim, & sunt illæ, quæ tantam habent declinationem, id est, distantiam ab æquatore, quanta est elevatio poli istius regionis.

Stellæ quæ in eadem regione simul ascendunt, aut medium cœli obtinent, aut descendunt, plurimum possunt eodem tempore propter virium inter se commixtionem.

Stellæ quæ semel in die perveniunt ad communem horizontis & meridiani intersectionem, sunt potentissimæ, quia singulis diebus, cùm in illo sunt puncto, erunt cum omnibus Planetis & fixis in uno circulo positionis: sunt autem illæ, quæ tantam habent latitudinem vel septentrionalem, vel meridionalem, quantum est complementum elevationis poli ad 90. gradus.

Trigonus igneus est Christianorum, dominus ejus Jupiter & Sol: terreus idololatriæ, ejus dominus Venus & Luna: aërius Judæorū, dominus ejus Saturnus & Mercurius: aqueus Mahumetarum, dominator Mars.

Effectus eclipsium incoati augentur vel minuuntur, aut per novilunia, aut plenilunia, aut radiaturas quadratas luminarium, cùm inciderint in loca eclipsium, aut ea radiis tetigerint.

Stellæ quæ disponunt loca eclipsium, si noviter emergant, aut occultentur, aut stationem ingrediantur, vel noctu emicent, augent vel minuunt effectus: augent quidem dum è Solis radiis emergunt, & in stationibus sunt, etsi sint debiliores, quia tamen firmi manent in uno loco & quasi fixi, plus operantur.

rantur: debilis enim assidue assistens plus operatur quam validus vagans: minuunt verò effectus, cum occultantur Planetæ dispositores, noctu item emicantes & retrogradi.

Quotiescunq; fuerit unus locus tantum significator alicujus rei, potentior in illo loco pro disposito accipiendus: si verò duo vel plura loca fuerint significatores, principalis erit, qui plus habet potestatis in primo loco, inde illi ex ordine adiungentur, qui reliquis locis primi dispositoris imperabunt. Si ambigua fuerit domini ratio, præponendus ille, qui fuerit in angulo, & essentiali aliqua dignitate.

Signa æquinoctialia significant status legum, sacra, ceremonias, hæreses, sacerdotia, pontificatus: tropica mutationem aëris, morum, legum: fixa res fixas & immobiles: communia Reges, magistratus.

Magis autem afficiuntur à Planetis regiones, quæ æqua- *Novab.*  
tori sunt proximæ: quæ verò extra æquatorem, vel versus septentrionem aut meridiem sunt positæ, minus afficiuntur à Planetis, itaq; ab eclipsibus minus, sed magis à stellis fixis.

Benefica si fuerit domina eclipsis & cardinis, domineturque civitati aut provinciæ, in quam significata incidunt, & à maleficis non impediatur, plurimum illis locis benefaciet, quòd si aliqua harum conditionum defuerit, minus juvabit.

Malefica si præ fuerit eclipsi & cardini, atque locis affectis per eclipsin, & à beneficis non respiciatur vel impediatur, plurimum infestabit.

• Robur stellæ bona & mala auget, sicut imbecillitas minuit.

Qualitas tempestatum non solum ex natura signorum zodiaci, partiumq; illorum tam in longitudine quam latitudine, verum etiam ex natura signorum extra zodiacum est investiganda.

D

Omnes

Omnes effectus significatorum generaliter reducuntur ad tres dispositiones, naturam significatoris bonam, malam aut mediam, ad debilitatem vel robur, & ad qualitatem, an scilicet sit felix, an infelix, ita ut optimi fiant effectus, cum benefica fuerit fortis ac felix, pessimi, cum malefica fuerit fortis & infelix, medii effectus ex significatoribus mediæ naturæ cognoscuntur.

Mentes hominum, ut consilio agunt, parum aut nihil habent ab astris, ut verò appetitu naturali feruntur atq; vincuntur, astris sunt subiectæ.

## C A P. VIII.

### *De natura & viribus Planetarum in genere.*

**I**N vestibulo hujus capituli generalia quædam occurrunt dubia, quæ excutienda sunt: video enim veteres Astrologos non abs re hæc discessisse. Primum est, quomodo Planetæ vires nobis suas in calefaciendo & humectando augeant vel minuant, an per transitum circuli æquinoctialis, an verò per latitudines? 2. an Planetæ efficacius agant in summo epicycli & eccentrici fastigio seu apside, an verò in opposito? 3. an Planetæ efficaciores sint, cum retrocedunt, aut stant, an verò cum motu sunt veloces? 4. an Planetæ magis calefaciant vel exiccant Soli juncti, quam si ab eodem sunt separati? 5. quas qualitates accipiant & immittant Planetæ in summa vel ima eccentrici epicyclivæ apside constituti?

Ad 1. & 2. Et quidem exempli loco sumamus Solem, in quo actionis modus est perspicuus. Is eò semper efficacior deprehenditur, ubi erectior ad capita nostra, seu per motum diurnum, & communem seu per proprium accesserit. Idem à con-

versio-

versione potentior est, quàm usq; ad illam, velut post tropicum æstivum & ingressum in signum cancri, & post meridiem, cum est in nona domo: aut cum ascendit ad culmen cœli, sicut post noctis medium magis augetur frigus, recedens scilicet à meridiano antipodum. Sed de his omnibus prolixius agetur inferius. De Saturno unum hîc monuisse æquum est, quod licet in cœlo non esset, aër nihilominus retineret caliditatem, quam habet ex Sole & astris, & si esset sub polo antarctico, nihil aut valdè parum obesset: si verò sub circulo antarctico, & sub tropico capricorni, magis, & adhuc magis, quo nobis & tropico cancri fuerit propior, nocebit, refrigerando, constringendo scilicet aërem, nec recipiendo calorem Solis: aliàs enim calidus naturâ, sicut omnia astra, verùm calor ejus comparatus ad nos, tantus non est, ut conservare diu possit & fovere. De humectatione alia est ratio. Sol oriens humectat, quia radiis rectis illud tangit, cujus proprium est humectare & gignere. Occidens autem siccatur, quoniam irradiat lumine reflexo, & calor ejus magis assimilatur igneo. Ita reliqui Planetæ omnes Orientales humectant, ut si ascendant ad Orientem, vel sint à Sole Orientales. Saturnus autem & Mercurius Occidentales refrigerando siccant. Venus & Luna nunquam, quia longè sunt humidiores, & ideò per quantamcunq; moram non possunt calefacere hominem ultra mediocre illius temperamentum, nunquam igitur poterunt exiccare. Reliqui cum sint calidi, possunt calefacere, & calor sit ac conservatur per motum, igitur per longam calefactionem motu aucto succedet siccitas, obq; id Jupiter quamvis humidus, parit serenitates. Sed in Solè, Marte & Mercurio etiam absq; diuturna mora generatur siccitas. Demonstratum est enim radios reflexos exiccare, cum igitur dicti Planetæ fuerint in mundo occidentales, etiam à Sole exiccabunt, cum interim primis suis radiis humectent, ut cum prodeunt ex solari-





humidissimus. Et si id verum est, necesse quoq; erit, Planetam stationarium in quocunq; genere qualitaris, impressionem au- gere, exceptis Marte & Venere: illum enim Retrogradum, magis calefacere, hanc magis humectare, si retrocedit, obser- vatum est. Ptolomæus 1. apotelesmat. c. ult. tract. 65. ex tribus sumit robur, ex configuratione cum Sole, à loco in suo orbe, & à comparatione loci juxta motum diurnum: à Solis configu- ratione, ut sint orientales à Sole, & hoc intelligendum, quam- primum videri cœperint emergentes scilicet ex radiis solari- bus, iisdem antea occultati. Atq; hîc observanda est distantia à Sole, interdum enim celerius videntur, interdum tardius, ut Jupiter celerius Marte, Mars Saturno, ideoq; major etiam ali- quantò requiritur distantia in Saturno, quàm in Luna, Jove & Venere, quos tamen abscondit ad 15. grad. ad eò, ut initiù robo- ris Saturni sit post 17. grad. distantia à Sole. Atq; hîc non parum habet momenti, rationem regionis observare, ascensionem re- ctam vel obliquam signi in quo est, latitudinem magnam vel parvam, aut nullam, locumque in eccentrico, secundùm hæc enim vis ejus augetur usque ad 20. grad. à quibus usque ad 45. quoniam optimè cernitur, estq; in diverso à Sole signo, & mo- vetur usque ad stationem primam velocissimè, fortissimus est. Sed de his & reliquis plura infrà.

Ad 4. Hîc verò dissensus videtur esse. Quidam, inter quos est Eschuidus Anglus, volunt omnes Planetas, Soli jun- ctos, ita ut non distent ab ejus centro amplius 16. min. totam naturam exhibere Soli, atq; hac ratione Saturnus & Mars plu- rimum obessent, Jupiter & Venus verò prodescent ac juva- rent, Luna partim juvaret, partim noceret præsentia suâ, & ob naturam Soli contrariam, Mercurius prout se habuerit. Alii extra corpus Solis Planetas bonos & malos debilitari ajunt, unde Venus, Jupiter & Luna Soli juncti nocent: Saturnus ve-

rò & Mars Soli juncti minus mali habentur, quoniam visorū debilitatur. Idem porro Elschuidus ait, in similibus qualitatibus non multum affici, sed potius confirmari & roborari, ut Jupiter in calore, Saturnus in siccitate, Mars verò in utraque. Et hæc sententia à veritate non aberrat. Quæ enim dicuntur de frigiditate Saturni in minuendo calore Solis, eadem intelligenda erunt de humiditate Veneris, in minuenda siccitate ejusdem, & de Saturni siccitate in augenda siccitate Solis, & caliditate Jovis, atq; ita in Marte de qualitate utraque. Considerandum igitur, Saturnum minuere calorem & actiones Solis sub radiis & extra radios ejusdem, sed diversa ratione. In 8. vel 6. cœli domo plus impedit sub radiis quàm liber, & magis refrigerat in 9. 10. vel ascendente liber quàm sub radiis, & ubi fortis est ac potens: minus verò ubi extra radios est debilis. Sub radiis potens actiones minuit, debilis impedit tantum.

— Ad 5. Quas verò qualitates acquirat vel imprimat, ciatve Planeta propè angem aut ejus oppositū tam in eccentrico, quàm epicyclo, vel inde maximè manifestum evadit, quòd inferiores omnes, ac etiam Luna, quantò magis accedunt ad apogæum seu eccentrici, seu epicycli, tantò fiant calidiores & sicciores, in epicyclo tamen sicciores, quoniam Soli magis appropinquant. Contrarium contingit, si sunt in perigæo, quamvis experientia testetur, & rationi etiam magis consentaneum sit, sub & cum Sole sicciores evadere ob præsentiam scilicet lucis solaris. Luna humidior est in apside epicycli, Soli opposita, ob distantiam & luminis multitudinem, quamvis ad summum humiditatis incrementum pervenisse deprehendatur in quadraturis, cum scilicet est terræ proxima. Sed Saturnus, Jupiter & Mars, in perigæo eccentrici, quia sunt Soli propiores, ideo etiam sunt calidiores & sicciores: in apogæis verò ob distantiam majorem à Sole humidiores & frigidiores. Motus etiam

latitu-

latitudinis hic considerandus est, quin & accessus & recessus eorundem: Ad nos enim accedentes calefaciunt & humectant, ad austrum verò tendentes siccant magis & refrigerant, id quod in Solis ad nos accessu, ejusdemq; recessu est manifestum.

## C A P. IX.

### *De significationibus 12. cœli domiciliorum directis ad Astronomicam veritatem & rationalem experientiam.*

**H**ic enim prælibasse prius quædam generalia expediet, quàm ad specialem Planetarum explicationem progrediamur, ut sine quorum præcognitione æquus forsan lector cæcutiret. Initium autem faciemus de 12. cœli locis, quorum cognitio viam sternet ad altiorem scientiam. Divinatio enim ex astris plurimum interest primùm considerare, in quo loco cœli steliæ reperiantur, utrum cum Sole emergant, occumbant vè, orientem antecedant, vel exortum mox sequantur, an ipsi Soli assistant, an jaceant sub imo terræ depressi, an culminante Sole vel evehantur, vel sub occasum præcipitentur, an trinis vel quadratis radiis se feriant, an hæreant in profundo terræ, vel in culmine cœli emineant: intenduntur enim vires radiorum, qui ex cardinibus rectiori trajectu appulsi figuntur fortius, & efficaciores sunt longè in cardinibus, quàm aliis cœli locis. Unde doctrina de domiciliis ordine naturæ & antecedit, & fundamentæ præstruit ad speciale judicium, & prognosticum futurorum eventuum in sublunari mundo, rectè informandum.

Constat autem inter omnes, longoq; rerum cœlestium

usu

usu & observatione antiqui Astronomi edocti, cum animadverterent, stellas errantes in circulo obliquo, quem postea a 12. imaginibus zodiacum appellarunt, varias & insignes ciere mutationes ac vicissitudines in mundo sublunari, pro diversis scilicet concursibus ac configurationibus partim inter se, partim etiam cum stellis fixis, divina ingenii quadam vi & sagacitate, observatis primò solstitorum & æquinoctiorum punctis, circulum ipsum in 4. partes per duos coluros distribuerunt, iisque 4. anni tempora artificiosè distinxerunt. Postea eundem in duodenas æquales partes propter duodenas Lunæ & Solis synodos in annuo spacio subdiviserunt, circulis magnis utrinque per polos zodiaci ductis singulorum signorum initia & fines discreverunt, singulis signis tricenas annumerantes partes, diligenter observantes, quæ quibus in partibus, cujus qualitatis aut naturæ essent sidera singula. Diversos autem stellarum effectus in aliis atque aliis cœli locis deprehendentes, viam præmonstrante experientiâ, sensuque prælucente, secundum 12. signa zodiaci, 12. quoque cœli loca, quæ domicilia dicuntur, constituerunt, ut ita in confesso sit, 12. domiciliorum cœli, à signifero, constitutionem primò esse desumptam. Sic enim Pontanus l. 2. c. 1. de rebus cœlestibus: Fit autem, cum signa 12. signiferum constituent, 12. quoque cœli loca seu domus constituentæ sint. Omnem igitur cœli orbiculationem ab horoscopo progressi, eodem regredientes in 12. loca partiemur: quod autem inter mediæ cœli apicem gradumque horoscopantem spaci interiacet, quadram seu quadraturam vocabimus, unde fit, ut signifer ipse in 4. quadras, seu quartas sit distribuendus. Circulus enim qui transit per zenith capitis nostri, & per polos zodiaci singulis momentis distinguit 4. quadrantes cœli.

Sunt igitur domicilia totius cœli partes duodecimæ: dicuntur etiam mansiones, quia in quolibet horum Planetæ quo-

quolibet die per tempus aliquod commorantur & manent.

Ex his autem domiciliis cœli alia aliis sunt digniora & nobiliora, ut plus potentia obtinent, reliquisque digniora sunt, 10. 7. & 4. quæ & 4. mundi cardines appellantur, in his enim Planetæ commorantes potèntiores sunt quàm in aliis.

Dignitate his proximè succedunt, 2. 5. 8. 11. quæ propterea etiam succedentia dicuntur, quia cardinibus proximè succedunt.

Postremum locum occupant domicilia, quæ ab angulis cadunt, unde cadentia dicuntur, ut sunt 3. 6. 9. & 12. Ex quibus abjecta & infortunata cœli loca dicuntur 6. & 12.

Significationes autem domiciliorum sunt hæ:

Prima domus vocatur horoscopus, ascendens cardo Orientis, phlegmatica, Orientalis, fœminina, suâ naturâ felix & fausta: (nam per accidens reddi potest infauſta, cum scilicet Saturnus vel Mars in ea fuerint constituti, unde qui Martem habent in hac domo, sine cicatrice faciei inflicta vix ad tumulum exportantur, cujus rei experimenta extant plurima & fide dignissima:) Astrologi vocant domiciliū vitæ: judicatur enim ex hac de vita hominum, corporisq; temperamento, ingenio, moribus, &c. Gaudet in hac Mercurius, Conſignificator est Saturnus. Ex membris humanis habet caput, oculos, aures, & faciem, horumq; membrorum infirmitates.

Secunda dicitur succedens, domus substantiæ & facultatum, victus & lucri, omniumq; eorum, quæ ad vitam sunt necessaria, sua natura est felix, Septentrionalis, phlegmatica, fœminina: habet collum, guttur, glandulas: dicitur & porta inferna, quòd ex ea, quasi per fores apertas stellæ ad horoscopum evehantur. Conſignificator hic est Jupiter.

Tertia dicitur cadens, & à felici rerum eventu Dea, ex qua judicium fit de fratribus, sororibus, consanguineis, & breviori-

E

bus

bus itineribus: foemina est, phlegmatica, septentrionalis: habet humeros, brachia, manus: gaudet in ea Luna, Consignificator est Mars.

Quarta sua natura est felix, dicitur inum cœli, angulus terræ, est masculina, melancholica, septentrionalis: habet pectus, pulmonem, splenem, Consignificator Sol: Judicatur ex hac de patrimonii, hæreditatibus, bonis immobilibus, fodinis metallicis, & rebus absconditis.

Quinta dicitur bona fortuna, quasi læta & prospera denunciatur: est occidentalis, masculina, melancholica: habet stomachum, epar, cor, latera, dorsum: judicatur ex hac de liberis, donationibus, legationibus rebusq; lætis & pulcris, gaudet in ea Venus, & ipsa est significatrix.

Sexta sua naturâ infœusta, masculina, melancholica, occidentalis, significat infirmitates & morbos, servos, minoraque animalia, habet ventrem inferiorem cum intestinis, gaudet hic Mars, Mercurius est significator.

Septima dicitur angulus occidentis: est masculina, cholericæ, occidentalis, habet femora, renes, lumbos, Luna est significatrix: judicium ex hac sumitur de statu uxorio & nuptiarum, contentionibus, simultatibus, incommodisq; inde scaturientibus.

Octava infelix sua naturâ, cholericæ, meridionalis, foemina, habet vesicam, & genitalia, significator est Saturnus: significat autem mortem, mortisq; genus, mortuorum hæreditates, timores, arumnas, venena, Dicitur etiam porta superna, unde scilicet Sol ad occasum tendens, veluti reclusis portis deducitur, vel quia stellis occasuris quasi fores aperit.

Nona, domus divina & religionis dicitur, & itinerum longiorum, propterea gaudet in ea Sol, significator est Jupiter.

est

est cholericæ meridionalis, foemina: habet epar cum coarum parte superiori.

Decima sua natura felix, medium, summum, & culmen, cœli dicitur, locus item regius: significat enim honores, dignitates, & favorem Magnatum: masculina est, sanguinea, meridionalis: habet coarum partem inferiorem & genua, Consignificator est Mars.

Undecima sua naturâ mediocriter fortunata, masculina, sanguinea, orientalis: significat amicos, & favitores fucatos vel sinceros: habet crura usque ad talos: gaudet in ea Jupiter, consignificatore Sole.

Duodecima infausta est sua naturâ, unde etiam ab infelici rerum eventu Cacodæmon dicitur: significat enim carceres, ærumnas, inimicos & odium: habet ex animalibus majora, ut leones, equos, &c. ex membris humanis pedes cum podagra: est masculina, sanguinea, orientalis, gaudet in ea Saturnus, consignificatrix Venus.

Constitutis jam domiciliis cœli, non immeritò quaeritur, cur ab horoscopo potiùs, quàm alio cardine incoaverint veteres artifices numerationem domorum? id pulchrè & eruditè explicat Pontanus l. 2. c. 2. Cœli pars, inquit, ascendens generatur tempore, quæ horoscopus dicitur, primam nati ætatem significat, culmen, id est, cœli medium ætatem nati ejusdem, mediam, occasus ultimam, inum mortem, vitæq; ipsius exitum, quiq; post mortem futuri sunt honores & opprobria: Et rectè quidè atq; appositè hæc omnia. Etenim si cœli ac stellarum motus orbiculatioq; causa sunt omnium, quæ in mundo sublunari tam generando, quàm corrumpendo fiunt, & est aliquod, ut certè est, vitæ principium, quemadmodum homo in lucem & vitam venire dicitur, quo tempore ex utero matris



prodit, sic ipsa coeli pars, quæ supra terras tunc exit, comitaturq; motu atque adventu suo prodeuntis hominis ex utero motum; videtur primæ hujus commotionis, primæq; ætatis jus atq; dominium penes se meritò assumere, quæ verò ei opponitur occidens coeli pars, obitus atque corruptionis. Unde etiam omnes Astrologi maximi faciunt, magnamque vim tribuunt gradui ascendenti verificato. Verùm cautionibus hinc opus est: quòd si enim contingat, ut cuspis alicujus domus initium suum sumeret in ultimis 4. gradibus alicujus signi, tunc tota talis domus dijudicanda erit secundum signum mox sequens ultimos illos gradus, ut si cuspis domus primæ esset 27. vel 28. graduum signi tauri, illa domus non esset dijudicanda juxta taurum, sed geminos, quare tunc Mercurius esset dominus ascendenti participante Venere.

Nota item, quod Ptolom. traët. 3. c. 10. de vitæ spacio scribit, 5. gradus signiferi præcedentes cuspidem domus, & 25. mox sequentes, tenere virtutem talis domus, ita ut quælibet domus contineat æqualiter 30. gradus zodiaci. Sic gradus 5. horoscopus prægressæ ipsi horoscopo annumerandæ sunt, donec 30. graduum numerus compleatur, idq; in cæteris quoq; coelisticis observandum.

*NB.* Sed difficile explicatu est, cur domus illæ 3. orientales nunquam trigeneria distributione consentent, nisi caput cancri aut capricorni meridianum occupet? *R.* Cùm initium decimæ domus penes meridianum accipiatur: horoscopus autem in ipso horizonte deprehendatur, necesse est, ut ea portio eclipticæ, quæ inter meridianum & horizontem clauditur, variæ sit magnitudinis, nunc quidem quadranti æqualis, nunc verò major eo, & nonnunquam minor, unde etiam tres illæ domus trigeneria divisione non semper constant: dum enim portio illæ eclipticæ minor est quadrante, talis divisio deficiet: dum verò qua-

quadrantem excedit, acceptis tribus portionibus trigenorum graduum, nonnihil supererit, quod nulli domorum accedet, quod videtur absurdum: sic enim aliqua pars cœli esset in nullo domicilio. Per trigenariam igitur divisionem domus distinguo oportet, ita, ut quatuor quadrantes inter meridianum & horizontem hinc inde deprehendantur, quadrans orientalis supernus ter trigenos gradus habeat, tribusq; domibus orientalibus, 10. 11. & 12. accommodetur, & sic deinceps de reliquis. Nec est ambiguum, Ptolomæum trigenos singulis domibus attribuisse gradus, cum postremos quinque cujuslibet domus, vim sequentis obtinere voluerit, reliquos autem 25. trigenarium complere numerum.

## C A P. X

*De divisionibus, naturis, & significationibus  
12. signorum Zodiaci.*

**Z**odiacus seu signifer, vel secundum latitudinem, per Eclipticam lineam dividitur, vel secundum longitudinem in 12. signa, vel etiam duas medietates, quarum una dicitur Septentrionalis, continens priora sex, ut sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo: altera Meridionalis, continens sex reliqua, ut sunt libra, scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius, pisces.

Aries domus secundaria Martis, naturæ calidæ & siccæ, hoc est, cholericæ, masculinum, diurnum, septentrionale, mobile, signum primum triplicitatis igneæ & Orientalis: ex membris habet caput, faciem, oculos, aures, harumq; partium infirmitates & morbos: ex humoribus sanguinem biliosum: ex regionibus mundi ei subjiciuntur Anglia, Francia, Germania, Syria.

E 3

Taurus

**Taurus** domus secundaria Veneris, signum terreum, melancholicum, frigidum & siccum, foemininum, nocturnum, septentrionale, fixum, in terrea & meridionali triplicitate primum: ex membris habet collum, cervicem, guttur: ex humoribus choleram nigram: ex regionibus Parthiam, Mediam, Persidem, Cyprum, Cyclades, Asiam minorem.

**Gemini** domus secundaria Mercurii, naturæ sanguineæ, aëriæ, calidæ & humidæ, masculinum, diurnum, septentrionale, in triplicitate aëria & occidentali primum: ex membris habet humeros, brachia, manus: ex humoribus sanguinem: ex regionibus Armeniam, Hircaniam, Cyrenen, Ægyptum inferiorem.

**Cancer**, domus Lunæ, naturæ aqueæ, frigidæ & humidæ, phlegmaticæ, foemininæ, signum nocturnum, foemininum, septentrionale, mobile, in aquea & septentrionali triplicitate primum: ex membris habet pulmonem, epar, costas, splenem, mammillas: ex humoribus aqueos & serosos, item falsos: ex regionibus Numidiam, Africam minorem, Phrygiam, Bathyriam, Colchiden.

**Leo**, domus Solis, naturæ igneæ, calidæ & siccæ, cholericæ, signum secundum in triplicitate ignea & orientali diurnum, masculinum, septentrionale, fixum: ex membris habet cor, stomachum, dorsum, latera: ex humoribus bilem flavam: ex regionibus Italiam, Siciliam, Phoeniciam, Chaldæam.

**Virgo** domus principalis Mercurii, signum terreum, frigidum, siccum, melancholicum, foemininum, nocturnum, septentrionale, in triplicitate meridionali & terrea secundum: ex membris habet ventrem, intestina, diaphragma: ex humoribus melancholicum: ex regionibus Mesopotamiam, Babyloniæ, Assyriam, Achajam, Græciam.

**Libra** domus principalis Veneris, signum aërium, calidum,

dum, humidum, sanguineum, masculinum, diurnum, meridionale, mobile, in triplicitate sanguinea & occidentali secundum: ex membris habet lumbos, umbilicum, renes, femora, nates, vesicam: ex humoribus sanguinem: ex regionibus Baetrianam, Casperiam, Æthiopiam.

Scorpius principalis domus Martis, signum aqueum, frigidum, humidum, phlegmaticum, foemininum, nocturnum, meridionale, fixum, in triplicitate septentrionali & aquea secundum, habet pudenda & anum: ex humoribus pituitam, acrem, falfam: ex regionibus Mauritaniam, Getuliam, Cappadociam, Comagenam.

Sagittarius domus principalis Jovis, igneæ naturæ, calidæ & siccæ, cholericæ, masculinum, diurnum, meridionale, in triplicitate orientali & ignea tertium, habet nates, coxas, femora: ex humoribus bilem: ex regionibus Hetruriam, Hispaniam, Galliam Narbonensem, Arabiam felicem, Liguriam & Ciliciam.

Capricornus domus principalis Saturni, signū terreum, frigidum & siccum, melancholicum, in triplicitate terrea & meridionali tertium, foemininum, meridionale, nocturnum, mobile, habet fertora & succedentia, bilem atram, & ex regionibus Indiam, Illyricum, Macedoniam, Thraciam.

Aquarius domus secundaria Saturni, signum in triplicitate sanguinea & occidentali tertium, aërium, calidum, humidum, masculinum, diurnum, meridionale, fixum, habet genua & tibias, sanguinem pituitosum, & ex regionibus Oxianam, Arabiam desertam, Sarmatiam.

Pisces domus secundaria Jovis, signum in triplicitate aquea & septentrionali postremum, aqueum, frigidum & humidum, phlegmaticum, foemininum, nocturnum, meridionale,

nale, habet talos & pedes, pituitam aquosam & salsam, & ex regionibus, Garamantes, Lydiam, Pamphyliam.

Prima igitur signorum divisio, ipsorum naturas & qualitates explicans hæc est:

Signorum quædam sunt ignea, cholericæ, calida & sicca, ut aries, leo, sagittarius:

Quædam terrea, frigida & sicca, melancholica, ut taurus, virgo, capricornus:

Quædam aëria, calida & humida, sanguinea; ut gemini, libra, aquarius:

Quædam aquea, phlegmatica, frigida & humida, ut cancer, scorpius, pisces.

Triplicitatem orientalem, masculinam, diurnam constituunt, ignea: triplicitatem meridionalem, foemininam, nocturnam, terrea: triplicitatem occidentalem, masculinam, diurnam, aëria: triplicitatem septentrionalem, nocturnam, foemininam, aquea.

Triplicitatis igneæ præsidēs & domini sunt Mars, Sol & Jupiter: terrea, Venus, Mercurius & Saturnus: aëria, Mercurius, Venus, Saturnus: aqueæ, Luna, Mars, Jupiter.

2. Signorum quædam sunt septentrionalia, quæ scilicet in parte zodiaci versus septentriones declinante conspiciuntur: quædam meridionalia, quæ in meridiem declinant: Septentrionalia sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo: Meridionalia, libra, scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius, pisces: illa constituunt medietatem zodiaci calidam, hæc frigidam.

3. Signa mobilia sunt aries, cancer, libra & capricornus: nam Sol in horum principiis conversivam quandam temporis mutationem constituit: fixa sunt illa, quæ duo solstitia & æquinoctia in ordine sequuntur, ut taurus, leo, scorpius, aqua-

aquarius, & dicuntur fixa, quòd 4. temporum mutationes, quas Sol in punctis cardinalibus existens excitat, in iis magis significantur & imprimantur: quædam sunt communia & bicorpora, collocata scilicet inter mobilia & fixa, ut gemini, virgo, sagittarius & pisces.

4. Hæc divisio signorum est scitu utilissima. Signorum enim quædam sibi sunt invicem amica, quædam inimica: amica, quæ trigonâ & sextili radiaturâ sunt connexa: triquetra, ut gemini, libra & aquarius: aries, leo, sagittarius: taurus, virgo, capricornus: cancer, scorpius, pisces: sextili radio se aspiciunt, aries & gemini, gemini & leo, leo & libra, libra & sagittarius, & aquarius, aquarius & aries, taurus & cancer, cancer & virgo, virgo & scorpius, scorpius & capricornus, capricornus & pisces, pisces & taurus.

Invicem inimica sunt, quæ quadrata & opposita radiatura se ferunt: opposita, ut aries & libra, taurus & scorpius, gemini & sagittarius, cancer & capricornus, leo & aquarius, virgo & pisces: quadrata, ut aries & cancer, taurus & leo, gemini & virgo, cancer & libra, leo & scorpius, virgo & sagittarius, libra & capricornus, scorpius & aquarius, sagittarius & pisces, capricornus & aries, aquarius & taurus, pisces & gemini. Quemadmodum igitur signa, quæ in triquetra radiatura consistunt, natura & qualitate conveniunt, sic quæ quadrato radio se feriunt, & opposito, natura & qualitatibus, præsertim a civis dissident, & sibi invicem sunt adversa.

Nota.

5. Signorum quædam sunt ascendencia, ut capricornus, aquarius, pisces, aries, taurus, gemini: quædam descendencia, ut cancer, leo, virgo, libra, scorpius, sagittarius: in his enim Sol in zodiaco quasi descendit recedens à vertice nostro, sicut in illis ad verticem nostrum accedit in zodiaco ascendendo:

F

dendo: Et quemadmodum in cancro vertici nostro est proximus: sic in capricorno ab eodem remotissimus.

6. Signorum quædam sunt masculina, ut aries, gemini, leo, libra, sagittarius, aquarius: quædam foemina, ut taurus, cancer, virgo, scorpius, capricornus, pisces.

7. Signorū quædam sunt præcipientia sive alta, ut quæ sunt in medietate zodiaci æstivali, quædam obedientia & infirma, quæ sunt in medietate zodiaci hyemali: signa alta sunt taurus, gemini, cancer, leo: ima scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius, Tortuosè quoq; ascendencia obediunt signis rectè ascendentibus, sic gemini obediunt cancro, taurus leoui.

8. Signa boni ingenii & facundiæ sunt, gemini, virgo, libra, capricornus, aquarius: in horum enim signorum aliquo Mercurius benè dispositus ingenii præstantiam & felicitatem largitur, quod præstantissimorum virorum genituræ testantur: sed stupidos homines reddit & exilis iudicii in tauro vel piscibus, nisi Venus, Jupiter vel Luna respexerint per trigonum vel sextilem.

9. Signorum quædam sunt rectorum ascensionum, ut cancer, leo, virgo, libra, scorpius, sagittarius, reliqua brevium: medietas enim circuli, quæ est à leone in finem capricorni, maxima est, quæ verò est à principio aquarii usq; ad finem cancri  
*Nota ill.* medietas minima dicitur. Nota, autores circa signa rectorum & obliquarum ascensionum discrepare: quidam enim rectè oriri ajunt signa borealia, obliquè meridionalia, alii rectè ascendere dicunt cancrum, & reliqua usq; ad capricornum, obliquè capricornum, & reliqua usq; ad cancrum. Verum, si æquatoris & zodiaci sectiones, & concursus accuratius observentur, palàm evadet, signa, quæ medium habent æquinoctium autumnale, seu libræ initium, id est, primum gradum habent in medio, ascendere rectè, hoc est, longius, quæ verè in medio

~~medii~~ habent æquinoctium vernale, obliquè ascendere, id est, brevius. Unde, quia Sole ingrediente primum gradum arietis, vel libræ, æqualis est ascensio, & descensio hemicyclorum zodiaci & æquatoris, eo etiam tempore nec rectè, nec obliquè, aries vel libra ascendit, vel descendit. Sole verò procedente paulatim zodiacus & æquator à se invicem separantur, zodiaco quidem post intersectionem vernam versus septentriones: æquatore verò in meridiem, post verò intersectionem autumnalem æquatore versus boream: zodiaco verò versus meridiem excurrente, & hæc est vera ratio signorum rectè vel obliquè ascendentium, rectè item vel obliquè descendentium.

10. Signorum deniq; quædam sunt centrica & cardinalia, quæ scilicet 4. mundi cardines & centra constituunt, ut sunt signa primi tetragoni, quorum duo sunt tropica, cancer & capricornus, duo ἰσημερία, libra & aries, in quibus scilicet contingunt æquinoctia, sicut in illis solstitia & Solis τετραί, id est, conversiones.

11. Signa, quæ nullo radio concordant, id est, inter quæ nulla est irradiatio, peregrina sunt & divisa, ut sunt, quæ invicem distant per 30. gradus. Et tantum de divisionibus

signorum proposito nostro inservientibus.

F I N I S L I B. I.



F 2

ASTRO-





# ASTROLOGIÆ GEN. PARS altera.

## C A P U T I.

### *De definitione & divisione Astrologiæ.*



STROLOGIA propriè dicta est pars Physices, monstrans vires & effectus, ac significationes stellarum, quas in elementari mundo & corporibus animantiũ excitant: seu est illa Astronomiæ pars, quæ siderum monstrat effectus ac vires, quas in elementarem mundum illa promunt, demissis defixisq; radiis vim simul occultam deferentia, quam Ptolom. vocat *ἀρρίππος*, id est, defluxum.

Dicitur *μαυρίτις* & divinatrix, non quidem curiosè & superstitiosè, sed quantum per longam & rationalem experientiam patefactum habetur & compertum.

Duas habet partes, prior ex stellarum positu prædicit eventus universales, pertinentes ad omnes gentes & nationes, ut sunt pestilentia, bella, ubertas & raritas frugum, tempestates, tempus plantandi, ferendi, metendi, &c) altera, quæ corrupto nomine genethliaca dicitur, propriè verò Astrologia iudiciaria, singulorum hominum fata inquiri, ut vitam brevem vel longam, fortunam vel infortunam circa vitæ accidentia, ut honores, divitias, conjugium.

Cùm verò universalia majori vi & efficacia à causis suis moventur, necesse est, universalis & prior Astrologiæ pars præcedat cognitionem posterioris: nam causæ potentiores magis movent

movent debilibus : causæ autē universales sunt potētiore<sup>s</sup> particularibus : causæ igitur universales magis movent. Ass. probatur, quoniam causę majorum effectūū potentiores sunt causis minorum : ergo cū effectus universales, ut cū perit una gens tota, sint majores effectibus singularibus, ut cū perit unus homo, manifestum est, quod diximus.

Præterea cū non dentur constitutiones generales ratione causæ agentis, sed tantūm ratione loci, dividitur hæc constitutio generalis in 3. genera : vel enim afficiuntur regiones totæ, ut Germania omnis, vel etiam regiones plures, ut Europa, vel harum partes, ut Hassia, vel Bohemia, vel una urbs tantūm, ut Francofurtum, vel Colonia : unde quantò effectus hi sunt generaliores, tantò sunt etiam potentiores & efficaciores, & non possunt sciri effectus minores, minusq; universales, nisi sciuntur majores, magisq; universales, ut si constellatio quædam significet maximam felicitatem Hassiæ, & alia constellatio bellum exitiale toti Germaniæ, quomodo ex constellatione Hassiæ possim divinare felicitatem, quam totius Germaniæ calamitatem esset everfura ? Ubi tenenda distinctio, quòd causarum universalium quædam sint potentes, quædam debiles : debiles debilibus, & potentes potentibus conferri debent : generalis enim semper potentiores sunt propriis, & generaliores minus generalibus. Unde debilis universalis non potest vincere validam propriam, veluti, si universalis constellatio significet aërem temperatum & salubrem, & aliquis ex propria genesi debeat ægrotare graviter, non evitabit quidem ille gravem morbum, sed minus graviter ægrotabit ob generalem constitutionem, quæ pollicebatur bonam aëris temperiem. Et ut facilius dexteriusq; hoc intelligatur, quod etiam ad veræ eruditionis complementum non parum habet momenti, sit constellatio, quæ Francofurto minitetur futuram pestem, & quidam Mar-

purgi eodem anno pleuritide moriturus sit, hinc statuendum,  
 facilius esse illum posse evadere, qui laborat Marpurgi, quàm  
 ne pestis multos occidat Frâncofurti, quia constellatio univer-  
 salis ad incertam multitudinem est comparatio ad proprium  
 effectum, sicut genesis propria ad illum, cujus est genesis. Sed  
 causa universalis comparata ad proprium effectum potentior  
 est quàm propria & particularis: ergò certius est pestem plures  
 occisuram, quàm pleuriticum moriturum. Sed si comparatio  
 fiat ambarum constitutionum, id est, universalis & propriæ ad  
 eundem pleuriticum, tunc oportet distinguere in hunc mo-  
 dum: vel enim Nativitas pleuritici est valde conjuncta consti-  
 tutioni universali, & tunc potior est constitutio universalis, ve-  
 riorq; & certior quàm propria, vel est parum conjuncta consti-  
 tutioni universali, & tunc plus valet propria quàm universalis,  
 præsertim, si illa huic etiam repugnat. Unde qui moritur peste,  
 habuit conjunctam constitutionem propriam cum constitu-  
 tione universali, qui autem evasit, vel parum habuit conjun-  
 ctam constitutionem propriam cum universali, vel propria o-  
 mninò repugnavit. Atq; hæc causa est, cur pestis tempore qui-  
 dam etiam procul fugientes moriantur, quia scilicet habent  
 dispositionem propriam junctam cum universali, vel etiam  
 universali non repugnantem. Sic, qui evasit è navi submersa in  
 mari, habuit constitutionem vel constellationem repugnan-  
 tem constitutioni navis & submersioni, quamvis non sine pe-  
 riculo evaserit, & ideò istud habet aliquid annexum cum po-  
 tentia fati. Unde duo hinc inprimis observanda: 1. quòd con-  
 stitutio generalis mala potest mutare cujusvis hominis pro-  
 priam bonam ad malum, & ille, qui nullam habet significatio-  
 nem mortis, potest mori in navi, quæ submergetur, & in peste,  
 quæ populariter grassatur, sed generalis bona non poterit tol-  
 lere malum per propriam genesis significatum, ut si quis in ge-  
 nitura

nitura sua haberet constellationem mortis violentæ, hæc significacionem nõ tollit constitutio universalis licet bona, quia malum, ut mors est de necessitate naturæ, bonum autem non, item, tum etiam, quia bonum est de ratione constructionis, malum verò destructionis, unde malum vincit bonum duabus de causis, bonoq; est certius. <sup>2</sup> Omnis homo, qui nascitur in aliqua urbe vel oppido, accipit constitutionem connexam cum illo oppido, quia stellæ verticales, & altitudo poli sunt ipsi & loco, in quo natus est, eadem, & similiter dominus trianguli illi dominatur. Unde, si significator calamitatis fuerit idem, cum Planeta significacionem habentis mortis in genitura, affligetur natus & morietur. Sic in constitutionibus magnis, ut navi submergenda, civitate destruenda, exercitu cædendo ad internecionem: tamen si quis nihil habeat commune cum illa significacione & constitutione: moritur tamen, nisi habeat genitorem potentem, cujus dominus & dispositor dominetur, & potentior sit domino constitutionis universalis, aut loco, in quo exitium continget. Qui enim evadunt in constitutionibus magnis, evadunt, vel quia dominus ipsorum genituræ dominatur loco infortunii & dispositoris illius, vel quia dominus genituræ est etiam dominus ipsius constitutionis, & maxime si fuerit Planeta beneficus & potens: nam si fuerit maleficus, servabitur quidem ab initio, sed paulò tamen post morietur. In mediocribus autem constitutionibus, si quis debeat interire, non sufficit loci consensus, sed requiritur, ut constitutio ipsa sit conjuncta & colligata cum genitura, vel cum loco directionis, profectionis vel revolutionis. Constitutiones verò, in quibus nulli evadunt, sunt, in quibus domini & significatores valde sunt potentes, & in illius loci cardinibus præcisè. Quæ cum ita sese habeant, facilis est responsio ad argumenta, quibus plerique Prognosticum astrologicum planè prosterni ac convelli arbi-

NB.

arbitrantur, plurimos scilicet uno in prælio interire, & in aquis suffocari, qui tamen significationem mortis ejusmodi violentæ in genesi non habuerint, & nihil quoque commune cum constitutione magna & universali. Quàm potens sit & valida universalis ratio & constitutio regionum, in Regibus ipsarum Dominis evidenter apparet. Nam reges Scotiæ ferè omnes ferro pereunt, adeò, ut ex centum quinque vix quatuor vel quinque morbo perierint. Imò ex Jacobi nomine omnes violentam mortis sortem sunt experti: nam <sup>1.</sup> à familiaribus conjuratis in cubiculo est trucidatus. <sup>2.</sup> diffracti ænei tormenti ictu ad castellum, quod oppugnabat, interemptus. <sup>3.</sup> à filio ad Sterlingum justa acie interfectus. <sup>4.</sup> in bello Gallico à Surejo Britanniaë duce occisus. <sup>5.</sup> à Maria Regina veneno sublatus est, teste Buchan. <sup>6.</sup> adhuc est in vivis, quem Deus clementer conservet. Gallorum Reges constitutionem generalem habent faventioem & mitiorem, plerumq; tamen in bellis capiuntur, salviq; iterum dimittuntur, ut constat de Francisco I. & Johan. Vallesio. In duobus tamen Henricis propria genesis & constitutio parum fuit conjuncta cum universali, unde illa huic prævaluit: nam uterq; in propria genesi mortis violentæ prænuncios & significatores habuit potentes & fortes. Suecorum etiam Reges ut plurimum universali constitutione inquietantur: Danorum verò mitiori fato semper ferè sunt usi, & intrepido animo & pectore per maria inerrarunt: nam constat ex superiorum annorum memoriâ, Christianum I.V. cymbâ per mare vagantem, procellis subito obortis, omnibus, qui cum ipso erant, mortem timentibus, in hanc vocem erupisse, non præbituram fortunam hoc casus ludibrium, ut Reges animam fluctibus deberent, quæ sanè vox intrepidi pectoris fuit nuntia, & dignissima, quæ annalium consignetur monumentis. Jam igitur constare arbitror, universales constitutiones, quan-

quando & in quibus propriis prævaleant, & quando hæ vicissim illis.

## C A P. II.

### *De divisione orbis terreni secundum triangulationes seu triplicitates.*

**N**ULLA figura est magis consentiens, quàm triquetra æqualium laterum, & ipse signifer tribus circulis definitur, æquatore, & duobus tropicis: ipsius verò 12. loca seu signa dividuntur in triangula æqualium laterum 4.

Primum triangulum ducitur per arietem, leonem, & sagittarium, tria signa masculina & diurna, Solis, Martis & Jovis domicilia, aries Martis, leo Solis, sagittarius Jovis. Dominatores tamen hujus trianguli sunt Sol & Jupiter, & in administratione primas sibi vindicat Sol de die, Jupiter verò de nocte.

Mars propterea quòd Soli est inimicus, & plurimum potest per se, est exclusus, tum etiã quòd Sol in ariete habet suam exaltationem. Adde, quòd Ptolomeus in deligendis triangulorum Dominis observet tria præcipuè: <sup>1.</sup> ut in divinis triangulis sint diurni; in nocturnis, nocturni Planetæ, & ob id rejicitur Mars à primo triangulo, quod masculinum est & diurnum, Mars autem foemininus & nocturnus. <sup>2.</sup> ut masculinis triangulis tribuantur masculini, foemininis triangulis foeminini Planetæ. <sup>3.</sup> ut, qui in triangulo est dominus signi fixi, aliis præferatur. Ita Sol, quia dominatur in leone, in primo etiam triangulo tenet primas, Joviq; præfertur: nam leo est signum fixum. Huic triangulo subjiciuntur regiones inter Occid. & Septentrionem, Germ. Nordwest. Ex hoc triangulo flant Aquilo & Africus, unde, cùm Mars excitet ventos Occidentales: Sol verò singularem ventum non habeat: nam aquilonios ciet Jupiter,

G

piter,

pter, iure in hoc trigono quasi Solis vicem gerens Mars, dominium quoq; suum habet ratione ventorum. In hoc triangulo est Europa.

Secundum ducitur per taurum, virginem, & capricornum, signa foeminina, unde domini ejus sunt Venus & Luna, Venus quidem de die, Luna de nocte, estq; hoc triangulum potissimum australe propter Veneris dominium, cujus stella illius partis ventos excitat, propter calidi & humidi vim. Hoc triangulum est inter merid. & orient. Germ. Sudost/ in hoc est Asia. Cum autem Luna certos ventos non habeat, propter capricornum, in quo Saturnus habet domicilium, ipse Saturnus Veneri in ventis excitandis jungitur: licet enim tauro succedat virgo, in quo domicilium habet Mercurius, quoniam tamen proprios ventos non habet, excluditur.

Tertium per geminos, libram, & aquarium, tria signa masculina, alienum profus à Marte, proprium verò Saturni & Mercurii, quoniam hic in geminis, ille verò in aquario habet domicilium, & libra exaltationem. Quare hujus trianguli dominatores sunt Saturnus de die, Mercurius de nocte. Estq; inter Septentrionem & Orient. Nordost/ in hoc triangulo est Scythia, quæ dicitur Asiatica, seu Orientalis, citra & ultra Imaum montem, & Scythiæ Europææ seu Septentrionalis pars: (quodam enim Scythis annumerati fuerunt Poloni, Prutheni, Livonii, Lithuani, Russi, &c.) Venus, quia nocturna est & foeminina, licet libræ domina, ab hoc tamen trigono planè excluditur: quoniam verò neq; Mercurius, quia proprios ventos non habet, neq; Venus, quia nocturna & foeminina, neque Mars, quia cadit in libra, Saturno fociari non potest, dominii particeps in ventis movendis fit Jupiter. In hoc tamen triangulo Saturnus est efficax, quia duas in eo habet dignitates essentielles, domicilium in aquario, exaltationem in libra.

Quar.

Quartum per cancrum, scorpionem, pisces, ac relinquatur Soli Marti administrandum: adjunguntur tamen ei administrationis focii propter convenientiam in sexu, Luna de nocte, Venus de die. Sub hoc triangulo potissimum est Africa & Lybia, propter dominium Martis & Lunæ, sed propter Venerem fit Notolybicum, id est, Austroafricanum. Quæritur hîc, cur Jupiter, qui domicilium habet in piscibus, & exaltationem in cancro, ab hoc trigono excludatur? R. quia hoc triangulum foemininum est, quod verò Mars potentior est Luna & Venere, ratio est, quia est dominus signi fixi, Lunam tamen assumpsit in sociam propter cancrum, in quo habet domicilium: Venerem verò propter pisces, in quibus exaltatur. Hæc de trigonis.

## C A P. III.

*Quæ gentes in specie, cui triangulo & quadranti subjiciantur?*

SECUNDUM 4. prædicta & numerata triangula constituuntur 4. terræ quadrantes, æquales & congruentes 4. triangulis numero & positu: quilibet autem quadrans habet suos dominos & dispositores, ut ex sequentibus patebit. Mercurius est particeps domini in omnibus triangulis & quadrantibus: transit enim in naturam singulorum Planetarum, excepto Sole & Luna: naturam enim habet mediam inter Saturnum, Jovem, Martem & Venerem. Sol autem & Luna non ponuntur domini quadrantum, propterea quod omnibus dominantur generaliter: in omnibus enim regionibus est aliquid justitiæ, fidei, studii gloriæ, & appetitus modusq; dominandi, quæ omnia sunt Solis. In omnibus etiam regionibus est & vigent commercia hominum, consuetudines, desiderium nutriendi filios, videnti regiones novas, piscandi, colendi agros, lucrandi, quæ



omnia sunt à Luna. Ideoq; nulla est gens tam barbara & fera, quæ ex toto possit se extricare, & immunis esse ab effectio-  
 bus Solis & Lunæ, utpote qui dominium exercent generaliter in gentes omnes.

Quòd autem quadrantes cœpti sunt numerari à Sept. & Occidente, non ab Oriente vel Meridie, ideò factum est, quia Ptol. & veteres in geographia incipiunt ab extremo occidente, id est, fortunatis infulis & septentrione, unde Ptolomæus in prima tabula geographica descripsit Hyberniam & Albionem, id est, Angliam, quia sunt ferè in extremo Septentrionis & Occidentis. Hæc autem quadrantum, Planetarumq; dominantium distinctiones plurimum cōducunt ad gentium naturas & mores explorandos. Nam stellæ orientis longè alios imprimunt motus & mores, quàm occidentales, & septentrionales alios, quàm meridionales. Potentiores tamen sunt, quæ per verticem loci alicujus trajectiunt.

His itaque in hunc modum præmissis, primi quadrantis gentes & regiones sunt Britannia, Gallia, Germania, Italia, Apulia, Sicilia, Hispania, Thuscia seu Tyrrhenia. In quibus gentibus ob principatum trianguli sui & dominatorum illius deprehenduntur hi motus & mores, sunt regni impatientes, libertatis amantes, armorum ac belli studiosissimi, laborum patientes, præstantiæ, munditiæ & fortitudinis sectatores, Veneris cupidissimi.

Est autem primus quadrans inter septentrionem & occasum: Domini ejus sunt Jupiter & Mars. Primum verò in eo signum aries, 2. leo, 3. sagittarius.

Secundus quadrans est inter ortum & meridiem: domini ejus Saturnus & Venus. Primum in eo signum est taurus, 2. virgo, 3. capricornus.

Tertius est inter septentrionem & ortum: domini ejus  
 Jupi-

Jupiter & Saturnus. Primum in eo signum gemini, <sup>2.</sup> libra, <sup>3.</sup> aquarius.

Quartus est inter occasum & meridiē: domini ejus Mars & Venus. Primum in eo signum cancer, <sup>2.</sup> scorpius, <sup>3.</sup> pisces.

In primo quadrante est Europa, in secundo Asia, in tertio Scythia, in quarto Africa & Lybia.

Arieti autem primo primi quadrantis signo, & Marti ejus domino subsunt Britannia, Gallia, Braccata, Germania, Palæstina, Idumæa.

Leoni & Soli Italia, Apulia, Gallia togata, Sicilia, Phœnicia, Chaldæa.

Sagittario & Jovi Tyrreni seu Thuscani, Celtæ, Hispani, Arabia felix.

Secundus quadrans est pars australis Magnæ Asiæ, in quo sunt India, Parthia, Media, Persia, Babylonia, Mesopotamia, Assyria, Media: hujus quadrantis primum signum est taurus, cui & domino ipsius Veneri subsunt Parthia, Media, Persia.

Secundum est virgo, cujus dominus est Mercurius, huic subsunt Babylonia, Chaldæa, Mesopotamia, Assyria, quibus propterea eximia Mathematicarum disciplinarum cognitio & siderum observatio contigit.

Saturno verò & capricorno propriè cedit India, Gedrosia, Illyricum, Thracia.

Tertius quadrans Magnæ Asiæ septentrionalis pars est, continens Armeniam, Hyrcaniam, Scythiam, Casperiam, Bactra, Sauromatas, & alias quæ in totius terræ divisione spectant aquilonem. Hæ regiones conciliantur triangulo aquilonari, geminis, aquario & libra.

Geminis & Mercurio subjiciuntur propriè Hyrcani, Armeni, Ægyptus inferior: libræ & Veneri magis parent gens

**Bactriana & Caspia** : Saturno & aquario **Sauromatica**, gens tetra, immanis & fera, & Arabia deserta.

Restat ultimus quadrans, videlicet iuteroccid. & meridiem, in quo sunt Africa, Lybia, Numidia, Garamantes, Mauritania, Getulia. Primum eius signum est cancer, domicilium Lunæ, cui debentur Numidæ, Phrygia, Bythinia, Chærtaginenfes, Afri : Scorpio & Marti obediunt qui incolunt Mauritaniam, Getuliam, Cappadociam, Syriam : Piscibus & Jovi, Garamantes, Lydia, Cilicia, Pamphylia, Ungaria, Nasamonica, ( regio Lybiæ. ) Hæc in specie de gentibus. Nunc ipsorum signorum significata, non tam provinciis & gentibus, quàm uniuscuiusq; hominis genesi correspondentia, subiicienda sunt.

Et quidem aries facit feroces, perversos, truces, audaces, infidiosos.

Taurus voluptatibus deditos, munditiei corporis, delicatq; vestitui & victui.

Gemini cogitantes, prudentes, intelligentes, magos, arcanorum investigatores, & in Mathematicis excellentes.

Cancer mercatores, & bonos socios, rerumq; affluentia, si ea potiri possunt, gaudentes, leves tamen, & mulieribus morigeri : mulieres autem, quibus hoc signum dominatur, sunt viriles, imperiosæ, contentiosæ & laboriosæ.

Leo constantes, benignos, amicitia studentes, siderumq; observatores.

Virgo opt. Mathematicos, observatores siderum, ingeniosos, omnibusq; disciplinis aptos.

Libra Musica & delitiis deditos, divitias congerentes, Venercos, mobilisq; consilii.

Scorpius bellicosos, discrimini obvios, carnivoros, seditiosos, improbos, fallaces.

Sagit.

Sagittarius simplices, munditiei & libertatis amantes, liberales, dextros in negotiis, & contractibus aptos.

Capricornus deformes, sordos, à morum mansuetudine & humanitate alienos, sed in divitiis comparandis minimè segnes.

Aquarius carnivoros, ichthyophagos; pastores, agrestemq; & vitam ferinam quasi agentes, immanes & tetricos.

Pisces liberales, mercatores attentos, in contractibus humanos, in moribus simplices, minimè sordidos, popularem statum amantes, consilio valentes, & pulcrorum operum artifices. Atq; hæ sunt significationes signorum. De trigonis appendicis loco teneatur, arietem, leonem & sagittarium esse trigonum Christianorum, & religionis Christianæ, quæ maximè viget versus septentrionem propter Jovis imperium, quod à septentrione est: taurum, virginem, capricornum, idololatricarum, geminos, libram, aquarum Judaicarum, cancrum, scorpionum & pisces Mahumeticarum: Mars enim religioni illi dominatur & præest.

C A P. IV.

*De stellarum fixarum consideratione particulari  
in hac predictionum doctrina.*

**D**ictum est, trigonos & signa familiaritatem habere cum gentibus, seu regiones & gentes trigonis conciliari, quo dominio, stellæ fixæ, in aliquo signo repertæ, nō sunt excludendæ: eadem enim regiones, quas illud signū sortitū fuerit, fixis quoq; subjiciantur. Fixæ autem nō ex dominio signi, non enim signis dominantur, sed ex loco adjunguntur, veluti oculus tauri tempore Ptol. erat in tauro, & ita afficiebat Cyprum, & maritima loca Asiæ, ac Parthos: nunc verò afficit Hyrcanos, Armenios

menios. & Ægyptum, quia est ingressus in geminos. Ita cor  
scorpii, olim cum esset in scorpio, afficeretq; Syriam, Mauros,  
& Cappadociam, ita nunc Hispaniam, & Galliam Celticam, in  
qua sunt Lutetiæ, & Normanni: & ita loca stellarum in signi-  
fero quærenda, & vires illarum signis ascribendæ.

## C A P. V.

### *De civitatibus Metropolitanis.*

**E**X provinciis postea ad civitates Metropolitanas devenien-  
dum, id est, aliarum civitatum principes. Nam reliquæ civi-  
tates, quæ neq; per se reguntur, neq; aliis imperant, fortunam  
Metropolis magnam partem sequuntur. Tria autem principa-  
lia loca in erectione figuræ Metropolis cujusq; provinciæ, non  
secus ac in genituris sunt observanda, Solis, Lunæ, & ascenden-  
tis seu horoscopi, nam Medium cœli pertinet ad Principem seu  
Dominatorem civitatis, & horoscopus refert civitatem ipsam.  
Quod si ignota sit constitutio cœli, quæ fuerit tempore ædifi-  
cationis civitatis, tunc Medium Cœli civitatem gubernantis,  
id est, principis, tanquam principalem locum civitatis observa-  
bis. Itaq; si habueris genesin civitatis (ita nunc vocatur figuræ  
cœlestis constitutio tempore primæ ædificationis) & genesin  
gubernantis, diligenter Medium cœli geneseos gubernantis,  
locusq; Solis & Lunæ consideranda, atq; cum ascendente ge-  
neseos civitatis conferenda, tum pro generali regimine inter  
se, tum pro Eclipsium præcedentium constitutione. Quod si  
locus gubernetur ab aliquo Proconsule, princeps, autem pro-  
cul absit, tunc permixta erit fortuna ex ipsis tribus, scilicet ge-  
nesi urbis, quæ primum obtinet locum, deinde Medii cœli seu  
veri Principis, tertio Medii cœli gubernatoris. Sed si verus  
Princeps in urbe sit, vel propè, gubernatoris genesis præter-  
mitten-

mittenda est, His præcognitis, duo hinc emergunt tanquam.  
**Corollaria:** 1. quòd non afficiuntur homines à provinciis generalibusq; constitutionibus, nisi afficiatur civitas: nam civitas habet principium per se: provincia autem non nisi ut est pars quadrantis. Unde civitas potest pati pestem & excidium per se absq; provincia: homo autem non potest pati pestem absq; peste & excidio civitatis, quia, cùm est singularis, non est subiectum proportionè respondens causæ universalis. 2. quòd quilibet potest evadere à talibus infortunis generalibus mutando regionem, nisi sit omninò connexus per ascendens, vel generales significatores.

## C A P. VI.

*De stellarum errantium naturali efficientia, cùm dominatores existunt principales.*

**I**N stellarum errantium dominio invenièdo, hoc est, quisnam potissimùm Planetarum sit dominus, agatq; principaliter in figura cœli, duo observanda veniunt, locus deliquii seu Eclipsis, & locus sequentis cardinis, id est, signum cardinale, quòd scilicet est in angulo eclipsin sequente. Locus deliquii per se patet. De angulis manifestum etiam est. Si enim eclipsis fuerit inter cor cœli & occidentem, cor cœli erit signum cardinale: sin autem inter ascendens, & cor cœli fuerit eclipsis erit signum cardinale, signum ascendens. Quicumque igitur Planeta fuerit dominus & loci deliquii, & anguli sequentis, ille erit dominus principalis: unde deliquia, quæ fiunt in cardine ipso, maximas habent vires, quòd idem Planeta sit dominus utriusque cardinis. Quòd si non fuerit unus idemq; Planeta dominus & loci deliquii & anguli sequentis, vide, quisnam plures dignitates, seu plus potestatis habeat in primo loco videlicet

H

ecli-

eclipseos, & illum constitue principalem Significatorem, cui postea adijunge, qui potentior est in loco cardinis: vel attende, quisnam in utroq; loco scilicet deliqui & anguli, habuerit plures dignitates, cumq; constitue principalem dispositorem. Ubi notandum, quòd dominus domus & exaltationis semper præferendus sit domino triplicitatis & termini. Exempli gratiâ. Sint gemini in ascendente, Eclipsis verò in ariete, dico, Martem & Mercurium esse principales dominatores, sed Marti debere primum locum, quia est dominus loci eclipsis, Mercurio assignari secundum, quia est dominus cardinis sequentis, Sol etiam aliquid potestatis habet, quia in ariete exaltatur.

Ad hoc porrò dominium etiam stellæ fixæ sunt assumenda, duoq; anguli observandi, unus quem eclipsis sequitur, alter quem antecedit: ut, si eclipsis sit inter 7. & medium cœli locum, primum locum obtinebunt stellæ, quæ sunt in septimo loco seu occidente, deinde, quæ in medio cœli: quòd si eclipsis fuerit inter cœli mediũ & ascendens, primum locum obtinebunt stellæ, quæ sunt in medio cœli, inde quæ in ascendente, & ita antecedentes hîc semper præponuntur sequentibus: uterque tamen locus & antecedens & sequens est eligendus. Sed quæstio est, cur in stellis fixis duo anguli, & antecedens & sequens observentur, in Planetis verò tantum sequens? R. quia Planetæ, cum magis moveantur ab occ. in ortum, locum deliqui superasse videntur, & ad illum ferri motu primi mobilis, stellæ verò fixæ, quoniam tardè moventur ab occ. in ortum, videntur in præcedente loco & angulo esse robustiores, quia Orientales sunt à Sole.

Saturnus igitur, ubi solus dominium fuerit sortitus, corrumpit generaliter frigore, cumq; illa corruptio cadit in homines, oriuntur morbi diurni, quartanæ, tabes, marcores, catarrhi, luctus, angustia, terrores, mortes ætate provectorum:

brutis

brutis aptis usui hominum, aliisque rebus morbifera infert mala, ut illis animantia vescentia intereant. In aëre excitat frigus horrendum, glaciale, nebulosum, pestilens, tempestates adversas, nubes densas, caliginosas, nivis magnam vim, nec opportuno tempore, unde serpentum multitudo hominibus noxia consuevit existere. In mari & fluviis communiter naufragia, piscium penuriam & interitus, fluviorum exundationes, & aquarum depravationem. In terra erucas, locustas, aquarum inundationes, nimborum ac grandinum impetus, quæ famem, frugumque caritatem, ac hominibus perniciem afferunt.

Jupiter solus dominium nactus, generaliter incrementa rebus confert. Sed peculiariter, cum eventus in humanum genus exeunt, largitur gloriam, amicitias, pacem, augmentum rei familiaris, dona & beneficia à Regnatoribus, ac universæ felicitatis est autor: tempestates reddit salubres, ventos imbresque salutare, fortunat classibus cursus, fluviorum aquas moderatas conservat, frugumque copiam ac his similia efficit.

Mars generaliter corrumpit fervore, sed peculiariter in genus humanum sævit bellis, seditionibus intestinis, carcere, populationibus, iracundiis principum, æstuantibus febribus tertianis, morbisque acutis, sanguinis eruptionibus, mortibus repentinis & violentis, contumeliis, injuriis, incendiis, homicidiis, rapinis, latrociniis: in aëre movet calidos ventos, pestilentes, tabificos, fulminum ejaculationes & flammam, squalorem. In mari subitas navium submersiones per ventos turbulentos, fluviorum aquas exorbitat, exiccat fontes, laticesque depravat. Quæ verò necessaria sunt ad usum vitæ humanæ e terra nascentia pessundat, vel pernicioso æstu devastat.

Venus sola domina generaliter ea efficit quæ Jupiter, sed cum venustate quadam: peculiariter tamen hominibus conciliat famam, honores, gaudia, annos frugiferos, dat fortunata



conjugia, liberorum copiam, incrementa bonorum, victum mundum, honestatem, reverentiam, corporis decorem, munditiam: aërem replet ventis temperatis, humidis, foecundis, serenantibus, tempestivisq; inibribus, navibus felices cursus & successus lucrosos tribuit, fluminum alveos implet, frugumq; copiam, aliasq; commoditates utiles animantibus confert.

Mercurius adeptus dominationem generaliter quidem in illius stellæ naturam se infiruat, cum qua fuerit junctus vel configuratus: est autem omnium maximè impetuosus: & in iis quæ sunt humana, acer, efficax, accommodabilis rebus utcunq; se offerentibus. In aëre contrariorum ventorum est excitator, usurpator latrociniorum, furtorum, pyratice invasionis, idq; si est in configuratione cum maleficis: autor quoq; morborum ex siccitate, febrium quotidianarum, tussis, anhelationis: habet & rationem sacerdotalem, cultus divinos, regiosq; reditus: excitat ventos inprimis violentos, turbulentos, instabiles, aëris siccitates tum ob Solis vicinitatem, tum ob cursus sui celeritatem. Itaq; & tonitrua flammantiaq; fulmina immittit, dissipatq; ac concutit terram, unde & interdum perniciosus est usibus vitæ humanæ & frugibus, flumina siccata occidens, explet oriens.

Hæ sunt quinque Planetarum effectiones propriæ, quas promunt in orbem elementarem, cum dominium fuerint sortiti: luminaria Sol & Luna excipiuntur tanquam Principes omnium: effectionum enim & dominationis jus aliis committunt, viresq; illorū vel intendunt, vel minuunt. Unum autem hic monēdum est, quod, cum dicitur, Saturnus efficit hoc & illud, nō solum intelligendum est de stella Saturni, sed etiam de quacunq; stella fixa, quæ est de natura Saturni, ut sunt cauda & venter ceti, caput serpentarii, fomahand, ala corvi, caput draconis, &c. Verum enim verò, cum iudicium Astrologicum

manicum

marcum sit & mutilum, imò perversum, nisi Planetarum fortitudines & debilitates sint præcognitæ, hoc est, nisi sciatur, utrum Planeta in hoc vel illo loco & signo, sit fortis vel debilis, operæ pretium est, prius proponere modam & rationem investigandi fortitudines & debilitates Planetarum, quàm ulterius in instituto nostro progredi.

Planeta enim, quò plures in themate aliquo habet dignitates, eò fortior est, quò verò pauciores, eò debilior.

Est autem dignitas Planetæ nihil aliud quàm potestas seu virtus, quam accipit vel ratione alicujus signi, vel ratione positus coeli, motusq;, vel ratione aspectus, vel ratione stellarum fixarum signo illi subiectarum, vel etiam propter occultam aliquam sympathiam & virtutem, quâ scilicet in uno signo efficacioris & evidentioris effectiois est, quàm in alio.

Est autem dignitas Planetæ vel essentialis, vel accidentalis.

**Essentialis Planetæ dignitas est virtus vel fortitudo ejus, quam habet in aliquo signo ratione stellarum fixarum in illo signo existentium, quæ sunt quasi de natura & essentia illius Planetæ, qui in tali signo habet dominium. Ac Planetæ existentes in his dignitatibus multò fortiores deprehenduntur, quàm in aliis zodiaci locis & signis.**

Sunt autem dignitates Planetarum præcipuè 5. domus, exaltatio, triplicitas, terminus & facies.

Domus Planetæ est illud zodiaci signum, in quo Planeta existens dominium suum & potestatem, veluti paterfamilias in domo sua exercet: Ac habent singuli Planetæ bina signa, in quibus hospitantur, quorum unum est masculinum, alterum femininum. Lunaria verò unum tantum signum, in quo dominium exercent, sunt sortita. Hujus rei exemplum exhibet sequens tabella.

Saturnus habet suum domicilium in capricorno & a-  
quario.

Jupiter in sagittario & piscibus.

Mars in ariete & scorpione.

Sol in leone.

Venus in tauro & libra.

Mercurius in geminis & virgine.

Luna in cancro.

Planeta autem existens in sua domo 3. habet dignitates  
essentiales: in signo verò hærens opposito est in detrimento  
suo, & tunc 3. habet debilitates.

Exaltatio seu altitudo Planetæ est locus zodiaci, in quo  
cum Planeta existit, naturali quadam sublimitate magnitudi-  
nis, ut loquitur Firmicus, erigitur, & maximam in aère & re-  
bus sublunariis mutationem ostendit, unde Planeta existens  
in exaltatione 4. obtinet dignitates essentielles: in opposito ve-  
rò signo hærens 4. accipit debilitates, ac dicitur locus ille sive  
signum Planetæ casus. Planetarum autem exaltationes & ca-  
sus sequens exhibet tabella.

Saturnus exaltatur in libra, cadit in ariete.

Jupiter in cancro, cadit in capricorno.

Mars in capricorno, cadit in cancro.

Sol exaltatur in ariete, cadit in libra.

Venus in piscibus, cadit in virgine.

Mercurius in virgine, cadit in piscibus.

Luna in tauro, cadit in scorpione.

Notandum autem, quod Hermes inquit, maximè exalta-  
ri Planetam, in 15. gradu sui signi, quam vis Ptolomæus totum  
arietem ponat exaltationem Solis, & totum taurum exaltatio-  
nem Lunæ, quem etiam recentiores sequuntur. Hermetis ta-  
men sententia rationi & experientiæ non repugnat: siquidem

major

major virtus Planetæ est, si in medio signi naturæ suæ, quàm si in principio aut fine ejusdem reperiatur.

Tertia dignitas essentialis est triplicitas, quam efficiunt signa ejusdem qualitatis & naturæ. Hic tamen potissimum agitur de Planetis qui triplicitatibus præsumunt, & dicuntur domini triplicitatis: ac sunt cujusque triplicitatis domini tres: primus diurnus, qui in die primas habet partes, secundus nocturnus, qui de nocte primas sibi vendicat, tertius dicitur particeps. Ptolomæus & Arabes hinc dissentiunt: nam Ptolomæus in tribus prioribus triplicitatibus seu trigonis nullos ponit Planetas participes, sed Arabes singulis triplicitatibus assignant participem.

*Triangulatores seu domini triplicitatum secundum  
Ptolom.*

**Trigoni ignei domini sunt Sol de die, Jupiter de nocte.**

**Trigoni terrei Venus de die, Luna de nocte.**

**Trigoni æerei Saturnus de die, Mercurius de nocte.**

**Trigoni aquei Mars, sed hujus domini participes sunt Venus de die, Luna verò nocte. Vide de his trigonis cap. 10. libr. 1.**

**Planeta existens in triplicitate 3. habet dignitates essentielles. Sæpè autem fit, ut Planetæ has dignitates permutent, ita ut alter sit in alterius domo, exaltatione vel triplicitate, quæ permutatio usitatè dicitur receptio, quæ triplex est, una ex domo, altera ex exaltatione, tertia ex triplicitate.**

**Ex domo, cum Planetæ signa, in quibus domum habent, permutant, ut fit Sol in ariete, Mars verò in leone, dico Solem & Martem recipere se mutuo ex domicilio, seu Solem esse in domo sua ex receptione.**

**Receptio ex exaltatione est, cum Planetæ signa, in quibus**

bus exaltantur, permurant, ut cum Sol est in tauro, Luna vero in ariete, Jupiter in libra, Saturnus in cancro.

Receptio ex triplicitate est, cum Planeta permurant signa, in quibus habent triplicitatem, ut cum Sol est in piscibus, Mars vero in ariete: tunc enim Sol est in triplicitate Martis, Mars in triplicitate Solis. Planeta autem receptus ex domo 4. habet dignitates, ex exaltatione 4. ex triplicitate;

Quarta dignitas essentialis terminus Planetarum dicitur, suntque nihil aliud termini seu fines Planetarum, quam certi signorum gradus, in quibus Planeta ob astralem sympathiam vires peculiare acquirunt.

Luminaria ob generale dominium, quod in toto zodiaco obtinent, finibus carent. Ptolomæus lib. I. quadrip. duas traditiones distribuendorum finium Planetarum, unam Chaldaicam, alteram Ægyptiacam, quâ veteres & recentiores Astrologi tum propter antiquitatem, tum etiam quod experientia magis congruit, semper sunt usi, adeoque eam subijcio.

*Termini seu fines Planetarum secundum*

*Ægyptios.*

In ariete terminus Jovis est gradus 6. Veneris 12. Mercurii 20. Martis 25. Saturni 30.

In tauro Veneris 8. Mercurii 14. Jovis 22. Saturni 27. Martis 30.

In geminis Mercurii 6. Jovis 12. Veneris 17. Martis 24. Saturni 30.

In cancro Martis 7. Veneris 13. Mercurii 19. Jovis 26. Saturni 30.

In leone Jovis 6. Veneris 11. Saturni 18. Mercurii 24. Martis 30.

In virgine Mercurii 7. Veneris 17. Jovis 21. Martis 28. Saturni 30.

In libra Saturni 6. Mercurii 14. Jovis 21. Venus 28. Martis 30.

In scorpio Martis 7. Veneris 11. Mercurii 19. Jovis 24. Saturni 30.

In sagittario Jovis 12. Veneris 17. Mercurii 21. Saturni 26. Martis 30.

In capricorno Mercurii 7. Jovis 14. Veneris 22. Saturni 26. Martis 30.

In aquario Mercurii 7. Veneris 13. Jovis 20. Martis 25. Saturni 30.

In piscibus Veneris terminus est gradus 12. Jovis 16. Mercurii 19. Martis 26. Saturni 30.

Planeta existens in suo termino duas obtinet dignitates.

Postrema dignitas essentialis dicitur facies, estq; divisio signi per 10. nam unumquodque signum dividitur in 3. partes æquales, quarum qualibet constat 10. gradibus, & vocatur facies. Pontanus decurias nominat, & singulis suis præficitur dominus. Incoatur autem decanorum ordo ab ariete, & ordine continuatur ad finem zodiaci secundum naturalem seriem signorum, ut ex sequenti tabula patet.

*Facies Planetarum.*

Arietis prima facies, hoc est, à primo usq; in 10. gradibus, tribuitur Marti: secunda, id est, à 10. usq; in 20. Soli: tertia à 20. in 30. Veneri.

Tauri facies prima est Mercurii, secunda Luna, tertia Saturni.

Geminorum, prima Jovis, secunda Martis, tertia Solis.

Canceri, prima Veneris, secunda Mercurii, tertia Luna.

Leonis, prima Saturni, secunda Jovis, tertia Martis.

Virginis, prima Solis, secunda Veneris, tertia Mercurii.

Libre, prima Luna, secunda Saturni, tertia Jovis.

Scor-

I

Scor-

Scorpii, prima Martis, secunda Solis, tertia Venetis.

Sagittarii, prima Mercurii, secunda Lunæ, tertia Saturni.

Capricorni, prima Jovis, secunda Martis, tertia Solis.

Aquarii, prima Veneris, secunda Mercurii, tertia Lunæ.

Piscium, prima Saturni, secunda Jovis, tertia Martis.

Planeta existens in facie unam habet dignitatem. Atq; hæc sunt Planetarum dignitates essentialis, quibus non perperam annumerari potest Planetæ gaudium, cum scilicet est in signo, quod magis suæ naturæ, & sexui ac conditioni congruit, ut cum Saturnus sit Planeta masculinus, magis etiam amat ejusdem qualitatis signum, ut est aquarius. Saturnus igitur gaudet in aquario, Jupiter in sagittario, Mars in scorpio, Venus in tauro, Mercurius in virgine. Sic autem constitutus Planeta unam habet dignitatem essentialis, atq; hæc dignitas Planetæ dicitur gaudium ratione signi, ad differentiam gaudii Planetarum ratione loci cæli, ut cum Mercurius dicitur gaudere in ascendente seu domo prima, Sol in nona, Jupiter in sexta Saturnus in sexta Mars in 6. Venus in 5. Luna in 5.

Planeta vero in nulla suarum essentialium dignitatum constitutus dicitur peregrinus, ac tunc s. habet debilitates essentialis, cum scilicet neq; est in domicilio proprio, neque in exaltatione, neq; triplicitate, neq; termino; neq; facie, neque gaudio. Ac tunc porro animadvertendum, quamvis & quibus habeat dignitates accidentales, an scilicet sit in domo 1. Vel 10. utrobique enim accipit dignitates s. in 7. vel 4. dignitates quatuor, in 11. 9. 5. vel secunda, dign. 3. in 3. dign. 2. Item an sit directus, liber à combustione, in suo hayz, in conjunctione partili cum Venere vel Jove, &c. quæ res ut sine obscura prolixitate, & clarè oculis subjiatur, notentur sequentes tabulæ, quibus dignitates & debilitates Planetarum tam essentialis, quam accidentales artificiosè per numeros colliguntur & investigantur.

*Tabula dignitatum Planetarum in officio illorum,  
quàm accidentatibus*

In domicilio proprie	5.
In exaltatione	4.
In triplicitate	3.
In termino	2.
In facie	1.
In gaudio ratione signi	1.
In domo 1. vel 10.	5.
In 7. vel 4.	4.
In 11. 2. vel 5.	3.
In nona	2.
In tertia	1.
Directus	5.
Liber à combustione	5.
Extra radios Solis	4.
In suo hayz	3.
In conjunctione partili Veneris vel Jovis	5.
In trigono partili Jovis vel Veneris	4.
In sextili Jovis vel Veneris	3.
Receptus ex domicilio	5.
Receptus ex triplicitate	3.
Receptus ex exaltatione	4.
Receptus ex termino	2.
In statione secunda	3.
In termino Jovis vel Veneris	2.
In trigono partili Solis	4.
In sextili partili Solis	3.
In commissione virtutis à Jove vel Venere	3.
In receptione virtutis à Jove vel Venere	3.
In translatione virtutis à Jove vel Venere	3.



In collectione luminis Jovis vel Veneris	2.
Elevatus super infortunas	2.
Elevatus super omnes Planetas	3.
Recedens ab infortunis	2.
In suo lumine	3.
In corde Jovis vel Veneris	5.
Ascendens ad angulos	2.
Ascendens in circulo augis	2.
In gradibus conformibus in sexu	2.
Extra viam combustam	2.
In summa auge	3.
Ascendens in septentrion.	3.
Ascendens meridionalis	2.
In gradibus plenis	4.
In gradibus augmentibus fortunam	4.
In conformitate quartæ	2.
Tres superiores orientales	3.
Tres inferiores occidentales	2.
Velox cursu	2.
Existens inter duas fortunas	4.
Luna noctu supra terram	3.
Luna lumine aucta	3.
Die sub terra	3.
In signo gradu & quarta foeminais	2.
Sol in signo gradu & quarta masculinais	2.
Sol cadit.	
In bono aspectu Luna	3.
Luminaria in domo vel exaltatione Jovis vel Veneris	3.
Partilis conjunctio intra distantiam 5 gradum ante vel post	
rum spica virginis in 10 gradu libra	5.
Cum Sirio in 28 abori	5.

Sini-

1	Sinistro pede Orionis in 11. gemini	4.
2	Arcturo in 18. libra	5.
3	Crure Pegasi in 23. piscium	3.
4	Armo seu ala Pegasi in 23. gr. piscium	3.
5	Cauda cygni in 0. piscium	4.
6	Lucida lyra seu fidicula in 8. capricorni	5.
7	Lance boreali in 14. scorpionis	3.
8	Corde leonis in 23. leonis	5.
9	Corde aquila in 24. capricorni	4.
10	Cum nodo ascendente seu capite drac.	5.
11	Capite gemini antecedentis in 14. cancri	3.
12	Cingulo Andromede in 24. arctis	4.
13	Cum fomahand in 27. aquarii	4.
<i>Tabella debilitatum, tam essentialium quam accidentalium.</i>		
14	Peregrinus	5.
15	In detrimento	5.
16	In casu	4.
17	In domo 6. vel 12.	5.
18	In octava	3.
19	Retrogradus	5.
20	Combustus	5.
21	Sub radius Solis	4.
22	In contrario hayz	2.
23	Conjunctus partiliter cum Saturno vel Marti	5.
24	In opposito Saturni vel Martis	4.
25	In quadrato Saturni vel Martis	3.
26	In statione prima	3.
27	In corde Saturni vel Martis	5.
28	In commissione Saturni vel Martis	3.
29	In receptione virtutis Saturni vel Martis	3.
	I 3	In

In translatione virtutis Sat. vel Mart.	3.
In collectione luminis Sat. vel Martis.	3.
Non elevatus super infortunias	2.
Accedens ad infortunias	2.
Descendens ab angulo	2.
Descendens in circulo zodiaci	2.
Descendens in meridiem	2.
In gradibus vacuis	4.
In gradibus non fortunantibus	4.
In gradibus non conformibus in sexu	2.
In via combusta	2.
Extra conformitatem quartae	2.
Tres superiores occidentales	3.
Inferiores orientales	3.
Minutus lumine	2.
Motu tardus	2.
In termino Saturni vel Martis	2.
Existens inter duas infortunias	5.
Luna die supra terram	3.
Noctu sub terra	3.
Non in signo, gradu & quarta foemininis	3.
Sol in signo, gradu & quarta foemininis	3.
Luna in quadrato vel opposito Solis partili	4.
Sol in malo aspectu Luna	3.
Luna lumine diminuta	3.
Conjunctio intra distantiam 5. grad. ante vel post cum cauda drac.	5.
Cum capite Algol in 20. tauri	5.
Ala dextra & rostro corvi in 6. libra	6.
Capite gemini sequentis in 17. cancri	3.
Humero dextro Orionis in 22. gemin.	3.

**Hume-**

Numero sin. aurigæ seu hirco in 15. gemin.	1
Cum oculo tauri in 3. gemin.	4
Corde scorpionis in 3. sagittariū	4
Laace australi in 8. scorp̃ii	4
Cum juba ceti in 28. arietis	4
Cum ventre ceti in 15. arietis	4
Cum capite serpentis in 15. sagitt. & capite draconis in 20. sagittarii	6.

Hæ sunt tabulæ dignitatum tam essentialium, quàm accidentalium, ex vetustissimis Astrologis repetitarum. Verùm, cum nimis operosæ sint, statuo cum Johanne Hispanensi, sufficere generalia tantùm magisq; principalia ex tabula dignitatum si observentur: 1. an Planeta sit in aliqua dignitatum suarum essentialium? 2. an directus, nec ne? 3. an combustus, nec ne? 4. velox cursu, nec ne? 5. an liber à radiis quadratis vel oppositis maleficorum? 6. an in bono aspectu beneficorum? 7. an in bono coeli loco? an cum stellis fixis de natura Veneris vel Jovis? Supremè enim damnati sunt & infortunati, cum sunt retrogradi, combusti, in domo 12. vel 6. & in malo aspectu Saturni vel Martis, nec non peregrini, & in suo casu.

De Sole nota, licet non sit in essentiali aliqua sua dignitate, satis tamen eum fortem esse & fortunatum, cum est in bono coeli loco, in terminis & bonis aspectibus Jovis vel Veneris, & cum stellis fixis insignioribus.

*Explicatio quorundam terminorum necessaria.*

Peregrinus Planeta est, cum in nulla existit suarum dignitatum essentialium.

Directus cum movetur in signa sequentia, & motus ejus in sequentem diem crescit.

Retrogradus cum in signa antecedentia.

Liber à combustione & radiis Solis Planeta dicitur, cum à So-

A Sole distat minus sui orbis medietate, aut exacte: nominatur autem medietas orbis spacium zodiaci, quod dimidius Planetæ globus à centro videlicet ad circumferentiam consideratus occupat: hoc verò spacium, quod scilicet dimidius Planetæ globus in zodiaco obtegit, in aliis Planetis est majus, in aliis minus, quoniam Planetarum corpora inter se non sunt æqualia, unde medietas orbis Saturni est 9. Jovis 9. Martis & Solis 5. Lunæ 12. Veneris & Mercurii 7. graduum.

In hayz Planeta dicitur esse, cum diurnus die supra terram, noctu verò sub terra, & nocturnus die sub terra, nocte supra terram est, ut Saturnus, Jupiter, Sol, Mercurius Planeta diurni, die existentes supra terram, nocte verò sub terra sunt in suo hayz seu conformitate. Mars verò, Venus & Luna Planeta nocturni sunt in suo hayz, cum in diurna genitura sub terra, in nocturna verò supra terram sunt. Sic in hayz Planeta esse dicitur, cum masculinus in signo & quarta masculinis & orientabilis, foemininus in signo & quarta foemininis extiterit, & occidentalis. Masculini autem Planetae sunt Saturnus, Jupiter, Mars, Sol: foeminini; Venus, Luna, Mercurius cum masculinis est masculinus, cum foemininis foemininus: Signa masculina sunt aries, gemini, leo, libra, sagittarius, aquarius, cetera foeminina. Quarta autem cœli masculinae sunt domus 10. 11. 12. 4. 5. & 6. foemininae 1. 2. 3. 7. 8. 9. aliàs dicitur conformitas quarta.

In statione secunda.) Stationarius Planeta dicitur, cum apparet quasi immotus, id est, cum linea veri motus hærens sub una aliqua zodiaci parte, neq; ad orientem, neq; occidentem moveri videtur. Puncta autem, in quibus id accidit, dicuntur stationes. Estq; prima vel secunda. Prima dicitur matutina, cum Planeta post mediam conjunctionem, qua fit in apogæo cum Sole, distat ab eodem in latere epicycli orientali quadrato vel triquetro, quod accidit tribus superioribus: nam Venus

ad quadratum vel trigonum à Sole non discedit, Mercurius verò celerius stationes suas superat, quàm ut observari possint: at Luna propter motus velocitatē summam stationalis non fit.

Secunda statio dicitur vespertina, cum post oppositionem in latere epicycli occidentali à Sole Planeta distat per triquetrum vel quadratum, quod contingit 3. superioribus tantum, in hujus autem principio Planeta incipit fieri directus, estq; in epicyclo ascendens, sicut in puncto stationis primæ incipit fieri retrogradus, & in epicyclo descendere: epicyclus enim secundum seriem signorum progrediens motum Planetæ regularem & proprium in eccentrico remoratur & impedit.

In commissione virtutis) Aspectibus seu configurationibus affinis est applicatio, cum scilicet Planeta levior, id est, qui pauciores habet gradus, ad ponderosorem, id est, qui plures habet gradus, appropinquat, sive corporaliter, sive per aspectum qualemcumq;. Levis Planeta vim donat applicando, ponderosus autem virtutem recipit, & hinc existit dignitas Planetæ, quæ receptio, commissio, & translatio virtutis dicitur, sed à Jovetantum & Venere: nam receptio virtutis à Saturno vel Marte debilitat.

Est autem virtutis receptio dignitas Planetæ, cum Planeta debiliior, ab alio, qui est in domo vel exaltatione sua, ideoq; potentior, accipit vires, ut si Sol & Luna jungerentur in leone, tunc Luna reciperet virtutem Solis, qui in proprio domicilio existit: Leo enim domus est Solis: eademq; Luna cum Marte juncta in ariete recipit vires Martiales: Mars enim in ariete habet domicilium. Juncta verò eidem Marti in capricorno similiter vires à Marte recipit, quoniam in Capricorno Mars habet exaltationem. Sed juncta Jovi in cancro duplici modo afficitur: primò enim virtutem suam committit Jovi, quoniam est in proprio domicilio, Jupiter igitur recipit virtutem Lunæ, dein-

K

de ca-

de eadem virtutem recipit à Jove, qui in cancro habet exaltationem; Luna tamen præfertur, quia commissio, quæ fit ex domiciliis, potentior est commissione, quæ fit ex exaltationibus. Hæc adeo sunt clara, ut pluribus exemplis opus non sit. Igitur commissio virtutis est, cum Planeta quispiam in domicilio suo est vel exaltatione, vel in domicilio & exaltatione simul (quod soli Mercurio competit) aliisq; ei jungitur, tunc qui in essentiali dignitate constituitur, committit virtutem suam ei; cui jungitur; & non constituitur in essentiali dignitate.

Quod si verò Planeta levis jungitur ponderosiori, hic verò adhuc alteri, tunc ponderosus naturam levis transfert ad eum, cui jungitur: vel cum Planeta levis separatur à ponderosiori, jungiturq; alteri, tunc naturam illius, cui primò fuit junctus, transfert ad eum, ad quem jam properat seu tendit, ut, sit Mercurius in 4. arietis, junctus Jovi in 3. hic Mercurius recedit & separatur à Jove: sit item Luna in 9. arietis gradu, ut ita Jupiter præcedat in 3. Mercurius sequatur in 4. Luna deniq; in 9. dico Mercurium: transfere virtutem Jovis ad Lunam: nam à Jove separatur, ad Lunam verò properat. Sic Venus in 5. arietis, Jupiter in 7. Luna in 10. exemplum præbent translationis virtutis: nam Jupiter naturam Veneris transfert in Lunam, hæc verò recipit. Is enim Planeta, à quo fit translatio virtutis, priori loco est, & pauciorum graduum, per quem fit ista translatio in medio, ad quem verò, postremo est loco in figura cœli, hoc modo:

NB.

- ad 10 Luna in 10. gr. }  
 - similis Jupiter in 7. gr. } arietis: 6. gr. verò  
 - ad 12 Venus in 5. gr. }

Atq; hæc corporalis applicatio dicitur, quæ scilicet fit in eodem signo, ad differentiam applicationis, quæ fit per aspectus, sive sit quadratus, sive sextilis, sive trigonus, sive oppositus;

Notab.

nam in his similiter fit translatio virtutis, ut & receptio & commissio: potentior tamen est corporalis applicatio. Exemplum translationis & receptionis virtutis per aspectum. Sit Sol in ariete, Luna verò in leone, dico Solem & Lunam intueri se radiis trigonis: Leo enim & aries sunt signa trigoni ignei & ejusdem naturæ, & quoniam Sol est in exaltatione sua, committit Lunæ virtutē suam: Sol igitur est commissor, Luna receptrix. Jam sit Mercurius in geminis, in quibus radios sextiles projicit ad Solem & Lunam, dico Mercurium transferre virtutem Solis ad Lunam, & vicissim Lunæ ad Solem, quoniam in medio inter Solem & Lunam constituitur: nam radiis sextilibus eos intuetur, & Mercurius vicissim aspicitur iisdem ab illis, hoc modo:

Luna in 20. gr. leonis.

Mercurius in 15. geminorum.

Sol in 9. arietis. Hæc applicatio fit per aspectus in signis separatis.

Porrò collectio luminis Jovis vel Veneris est, cum Jupiter vel Venus applicant Plánete ponderosiori, ut sit Mercurius in 17. tauri, Venus in 15. & Jupiter in 12. dico Mercurium colligere lumen Jovis & Veneris, quia uterq; Mercurio applicat.

Extra viam combustam) Via combusta in septentrione est à 18. geminorum ad 2. cancri: in meridie verò ab 8. sagittarii, usq; in 13. ejusdem, iterumq; à 24. sagittarii, usque in 2. capricorni.

In suo lumine Planeta dicitur esse, cum exit de radiis solaribus, nulliq; alii Planete jungitur, cum scilicet manifestè iterum apparet mundo, radiis solaribus, quibus antea tangebatur, splendorem ejus non impediens, & actum quoq; auctus luminis medietatis, cum scilicet post tōn junctionem cum Sole, vel Sol ab illo, vel ille à Sole recedit.



In corde Jovis vel Veneris Planeta esse dicitur, cum in eodem cum illis est signo & gradu, ut in themate nostro, quod infra examinandum proponetur, Mercurius est in 19. leonis, & Venus in 19. gradu leonis: Mercurius igitur est in corde Veneris, est enim centrica conjunctio.

Elevatus seu elevari Planeta dicitur: 1. qui minus distat ab auge deferentis sui seu eccentrici, elevatur supra eum, qui magis distat ab auge sua. 2. Planeta existens supra terram, elevatur supra eum, qui est infra terram. 3. Cum Planeta est vel distat ab alio per 10. aut 11. signa juxta successionem, tunc is, qui est in 10. vel 11. signo ab altero dicitur elevatus super alterum. 4. Is qui in medio est coeli, vel propè, dicitur elevatus supra eum, qui est in 11. & qui in 11. est, supra eum, qui in 12. est: medium enim coeli elevatur supra 11. undecima supra 12. duodecima supra ascendens. 5. Planeta in angulo elevatur supra eum, qui ab angulo recedit: excipitur autem hinc angulus orientis, seu domus prima. 6. Si omnes sunt supra terram, is qui medio coeli est propior, supra reliquos est elevatus. 7. Si omnes sunt infra terram, tunc qui ascendentis est propior, dicitur elevatus. 8. Maximè etiam latitudo Planetæ consideranda est secundum latitudinem zodiaci: si enim duo conjunguntur, tunc qui habuerit latitudinem septentrionalem, id est, distantiam ab ecliptica versus septentriones, elevatur supra eum, qui habet latitudinem meridionalem.

9. Quòd si verò ambo habent latitudinem septentrionalem, tunc ille, qui majorem habuerit, elevatur supra eum, qui habet minorem: nota autem, Saturnum, Jovem & Martem in ea parte eccentrici, quâ apogæum est, vergere in septentriones, quâ perigæum, in meridiem.

10. Duo verò conjuncti, si habuerint ambo latitudinem meridionalè, tunc is, qui habet minore, elevatur supra alterum.

11. Quòd

II. Quòd si verò duo Planetæ sint in medietate zodiaci ascendente vel descendente, eandemq; ferè habeant longitudinem, tunc, qui in longitudine majorem habuerit declinationem, (hoc est, distantiam ab æquatore) in septentrionem, is elevatur supra alterum. Planeta autem decurrens in medietate zodiaci ascendente, quæ est à capricorno usq; in cancrum, dicitur ascendens in septentrionem, à cancro verò ad capricornum dicitur descendens in meridiem, quamvis verè & propriè sit ascendens in septentrionem, cùm decurrit in signis primi quadrantis zodiaci, ut ariete, tauro, geminis: descendens verò in meridiem, cùm tertium quadrantem, videlicet libram, scorpionum & sagittarium percurrit.

Extra radios Solis esse Planeta dicitur, cùm ante vel post à Sole distat plus medietate orbis ejus, id est, 15. grad. Sæpè autem fit, ut Planeta quispiam sit liber à combustione, qui tamen adhuc sit sub radiis & oppressus, cùm scilicet ultra 15. gr. à Sole non distat, ut Venus & Mercurius in nostro themate sunt in 19. leonis: Sol verò est in 0. gradu leonis: dico Venerem & Mercurium non esse oppressos, quia distant ultra medietatem orbis Solis: ergo multò minus sunt combusti, quia distant extra orbium suorum medietatem à Sole. Item sit Mercurius in 11. gr. virginis, Sol in 8. dico Mercurium esse combustum, quia non distat à Sole extra medietatem orbis sui: in 16. verò gradu amplius combustus non erit, quia distantia est extra medietatem orbis sui, & interim tamen nondum est extra radios Solis, quia distantia adhuc est intra medietatem orbis Solis: esset autem liber, si existeret in virginis gradu 24.

Velox cursu Planeta dicitur, cùm motus Planetæ verus major est medio, tardus, cùm motus verus minor est medio: Id autem commodè deprehenditur ex ephemeridibus, si motum cujusvis Planetæ diurnum eliceris, eumq; cum medio ejus

motu comparaveris : medium autem Planetæ motum exhibet sequens tabella :

Saturni motus medius est	o.	} gr.	} 59.	} min.
Jovis	o.			
Martis	o.			
Solis	o.			
Veneris	o.			
Mercurii	o.			
Lunæ	13.			

Proprius enim cujusque Planetæ motus medius est seu æqualis, & verus seu inæqualis.

Medius seu æqualis est, cum paribus temporum intervallis pares & æquales arcus de circumferentia conficit, motuque lineæ rectæ æquales ad centrum describit angulos.

Inæqualis seu verus est, cum æqualibus temporum intervallis inæquales arcus de ambitu circuli peragit, aut contra inæqualibus temporum intervallis æqualia in circulo spacia percurrit: prior motus, medius scilicet, fit super centro eccentrici: alter seu verus super centro mundi: Luna excipitur, cujus motus super centro mundi est æqualis, super verò centro eccentrici sui inæqualis.

Existens inter duas fortunas, ut Sol in 12. leonis, Jupiter in 6. Venus in 18. hic Sol tam à sinistra, quam dextra parte à fortunis cingitur, hoc modo:

Jupiter in leonis 6.  
Sol in 12.  
Venus in 18. atque hæc existentia corporalis est:

Configurationis & aspectus exemplum est:  
Jupiter in leonis sexto gradu.  
Sol in geminorum 12. vel 13.

Venus in arietis 18. Hic Sol utrinque fortunatur à fortunis

per

per radios & aspectus sextiles. Existencia igitur hæc vel fit corporaliter, vel per aspectus. Corporaliter in signo eodem, per aspectus in signis separatis.

Recedens ab infortunis) Ut si Saturnus est in 7. capricorni, Mercurius verò vel Sol in 8. 9. vel 10. gradu capricorni, tunc Sol recedit à Saturno, itidemq; Mercurius, Saturnumq;, cui non ita pridem erant juncti, sequuntur: Mercurius verò in 5. vel 6. capricorni ad Saturnum accedit, eumq; tunc præcedit in themate cœlesti.

Ascendens in circulo augis) Observentur hîc apogæa & perigæa Planetarum in eccentrico, & res erit per se facilis. Exemplum in nostro themate est. Sol, Mercurius, Venus, apogæum suum habent in cancro: ergo, quia sunt in leone, quod signum cancerum sequitur descendendo, sunt descendentes in circulo augis, quamvis ab auge ipsa non tam procul absint: Luna in virgine similiter in eccentrico descendit: cùm enim perventura est ad scorpionum, quadratum Solis, tenebit perigæum, duplex siquidem habet apogæum & perigæum, illud in conjunctione, seu novilunio & plenilunio, hoc in quadraturis: Jupiter in cancro est ascendens in eccentrico, in libra enim tenet summam apsidem seu apogæum, in ariete perigæum: Saturnus in aquario, est descendens, apogæus enim est in sagittario: Mars in ariete est in eccentrico ascendens, apogæum enim habet in leone: semper enim illud zodiaci signum, in quo Planeta habet apogæum, in eccentrici parte summa locandum, & ab hoc secundum seriem & ordinem descendendo locus Planetæ inquirendus, donec ad imam apsidem perveniatur.

*Gradus pleni & vacui.*

In ariete gradus pleni sunt 8. 20. 30. vacui 3. 17. 26.

In tauro, pleni II. 21. 30. vacui 3. 13. 26.

In geminis, pleni 7. 14. 23. vacui 0. 9. 17. 30.

In

In cancro, pleni 12.18.29. vacui 6.14.20.30.

In leone, pleni 7.14.30. vacui 0.10.20.

In virgine, pleni 9.17.27. vacui 5.11.25.30.

In libra, gradus pleni sunt 5.16.27. vacui 0.13.24.30.

In scorpione, pleni 8.20.27. vacui 3.14.22.30.

In sagittario, pleni 8.19.30. vacui 0.11.23.

In capricorno, pleni 10.20.30. vacui 7.15.24.

In aquario, pleni 9.19.30. vacui 4.13.22.

In piscibus, pleni 12.19.28. vacui 6.15.25.30.

*Gradus masculini & feminini.*

In ariete masculini sunt 7.16.30. foemini 12.22. In tauro masc. 7.30. foem. 19. In geminis masc. 17.30. foem. 23. In cancro masc. 2.10.18.27. foem. 7.12.20.30. In leone masc. 5.15. foem. 17.26. In virgine masc. 7.24. foem. 22.30. In libra masc. 5.22. foem. 10.28. In scorpione masc. 4.12.27. foem. 10.19.30. In sagittario masc. 2.11.30. foem. 5.23. In capricorno masc. 8.19. foem. 12.30. In aquario masc. 9.19. foem. 12.30. In piscibus masc. 10.23. foem. 20.30.

*Gradus fortunantes.*

In ariete 19. In tauro 3.15.27. In geminis 3.10.11.12.15. In cancro 1.2.3.4.8.19. In leone 2.5.7.19.22.23. In virgine 3.4.14.16.20. In libra 3.16.17.21.28.29. In scorpione 5.7.12.15.18.20. In sagittario 3.13.15.18.19.20. In capricorno 8.12.13.14.20.24. In aquario 7.15.16.17.20.29. In piscibus 13.17.19.20.

## C A P. VII.

*De dignitatibus & debilitatibus partis fortunæ  
& cuspidum inveniendis.*

**E**odem quoque modo colliguntur dignitates & debilitates partis fortunæ & cuspidum cœli: fortunantur enim cuspides

des & initia domorum per conjunctionem, & bonos aspectus Jovis vel Veneris : infortunantur autem per malos aspectus Saturni vel Martis. Nodus ascendens, seu caput draconis sua presentia fortunat quemlibet locum in quo est, sed tamen, Mercurii instar bonum cum bonis, malum cum malis : cauda verò infortunat, estq; cum bonis mala, cum malis bona. Rem omnem clarè indicant sequentes tabellæ.

*Tabella fortitudinum Partis fortuna. Reperta enim*

In signo tauri vel piscium dign. habet	5.
In libra, sagittario, leone & cancro	4.
In virgine	2.
In geminis	3.
In finibus Jovis vel Veneris	2.
In conjunctione Jovis, Veneris, vel cap. draconis	5.
In trigono Jovis vel Veneris	4.
In sextili Jovis vel Veneris	2.
In domo I. vel IO.	5.
In 7. 4. vel II.	4.
In 2. vel 5.	3.
In nona	2.
In tertia	1.
In conjunctione cum stellis fixis insignioribus, de natura Veneris & Jovis, ut regulo, spica, arcturo, lucida coronæ, fiducula, Sirio, sinistro pede Orionis, &c.	4.
Libera à combustione & radiis Solis	5.
Juxta hunc ordinem, quem tabella exhibet etiam fortitudines & dignitates cuspidum sunt colligendæ, exempli gratiâ : Si in horoscopo est signum tauri, vel piscium, fortunatur ob signi talis presentiam quinque dignitatibus, & ita de reliquis.	

*Tabella debilitatum partis fortuna & cuspidum casti.*

In signo scorpionis, capricorni & aquirii

100001

L

5. Signum

Signum arietis neq; fortunat, neq; infortunat, licet enim sit domus Martis, tamen Sol in eo exaltatur, & Jupiter ibidem cum Sole habet triplicitatem.

In termino Saturni vel Martis	2.
In conjunctione cum Sat. vel Marte	5.
In opposito Saturni vel Martis	4.
In quadrato Sat. vel Martis	3.
In domo 12.	5.
In 6.	4.
In 8.	3.
In conjunctione cum stellis fixis violentis de natura Saturni vel Martis	5.
Sunt autem stellæ violentæ caput Medusæ, cor scorpionii, caput draconis, canieula, oculus tauri, &c.	

*Explicatio hujus tabellæ.*

Cuspis 10. & primæ domus infortunantur, si in eas cadit signum scorpionii, capricorni vel aquarii. Sic pars fortunæ in horum signorum uno, ut & in domo 12. 8. vel sexta infortunatur: demuntur enim ei quinq; dignitates. Eadem quoq; debilitatur intra distantiam 5. graduum ante vel post conjuncta cum capite Medusæ in 20. tauri, vel corde scorpionis in 3. gradu sagittarii, &c. Exemplū sit ex nostro themate, ut totū hoc negotium clarius ac facilius intelligatur. Investigemus dignitates & debilitates horoscopi & partis fortunæ. *Karisnuu* autem cœli ad annum 1610. 14. Jul. hor. i. pomerid. 31. min. tale est.

Medium cœli, seu domus 10. est 24. leonis.

Domus undecima 27. virginis.

Domus duodecima 20. libræ.

Horoscopus seu cuspis primæ 10. scorpionii.

Domus secunda 4. sagittarii.

Domus tertia 11. capricorni.

Domus

Domus quarta 24. aquarii.

Domus quinta 27. piscium.

Domus sexta 20. arietis.

In cuspide septimæ est 10. tauri.

In cuspide octavæ 4. geminorum.

Domus nona est 11. cancri gradus.

*Positus Planetarum ad datum tempus.*

Venus & Mercurius cordialiter juncti in signo leonis cuspidem medii cœli antecedunt, in 19. gr. leonis.

Sol in meditullio nonæ domus, in 0. gr. 57. min. leonis, domicilio proprio & triplicitate.

Luna præcedit cuspidem undecimæ domus in 23. virginis.

Jupiter adhæret cuspidi nonæ, in 9. cancri & sua exaltatione, partiliter nodo ascendenti junctus.

Mars præcedit cuspidem sextæ in 16. arietis, & proprio domicilio.

Saturnus adjacet cuspidi imi cœli in 22. aquarii, proprio domicilio ac triplicitate. Hæc est thematis nostri constitutio.

Diximus horoscopum esse 10. gr. scorpii.

Investigentur igitur fortitudo ejus secundum exhibitam modò tabellam.

Horoscopus est fortis, ratione termini Veneris 2.

Trigoni Jovis 4.

Libertatis à combustione 5.

Pars fortunæ in 3. capricorni fortis :

Ratione loci in secunda 3.

Libertatis à conjunctione 5.

Conjunctionis cum fidicula 5.

Horoscopus debilis :

Ratione signi scorpionis 3.

L 2

Ra-



Ratione quadrati Saturni 3.

Collectis igitur testimoniis, apparet testimonia dignitatum superare testimonia debilitatum ternario, quare horoscopus esse in hoc themate mediocriter fortem pronuncio.

Pars fortunæ debilis:

Ratione signi capricorni 5.

Ratione conjunctionis cum cauda drac. 5.

Collectis testimoniis remanent tria dignitatum, unde partem fortunæ similiter fortem adhuc mediocriter, mediocri modo fortunare judico.

Atque eodem planè modo & dignitates debilitatesque Planetarum juxta tabulas supra traditas investigandæ sunt, de quæ fortitudine ac debilitate eorundem pronuncianum.

Unum hinc ommissum non oportuit, cur horoscopo ratione quadrati Saturni assignem tres debilitates, & non etiam parti fortunæ ratione quadrati Martis, cum quadratus Saturni ad Horoscopum sit æquè platicus, quàm Martis ad partem fortunæ. hoc ideo fieri, quoniam Saturnus in 22. gradu aquarii est retrogradus, & propterea gradibus in sequentes dies horoscopo magis ac magis applicando sit propinquior, quod de Marte directò pronunciarum non potest, atque hoc in omnibus Planetis Retrogradis in primis observandum.

*Difficilis quaestio.*

## C A P. VIII.

### *De naturis Planetarum ascendentium vel descendendum in suis circulis.*

**H**Actenus igitur de Planetarum fortitudinibus & debilitatibus artificiosè colligendis & investigandis sufficienter dictum, ordinis nunc ratio postulat, ut ad Planetarum vires & naturas ulterius declarandas stylum promoveamus. Cumque supra

suprà cap. 6. stellarum errantium naturales efficientiæ, cum principales existunt dominatores super locum ecclipticum, & angulum sequentem, suis enumeratæ, hoc capite breviter recensentur effectiones Planetarū, cum in suis circulis ascendunt vel descendunt: alios enim effectus habet Planeta apogæus, id est, cum à terra est remotissimus: alios item, cum est perigæus, id est, centro terræ proximus. Linconiensis in tract. suo de temperie aëris inquit: Omnem Planetam fortius agere in hæc sublunaria, cum existit in auge, quam cum est in opposito augis, quoniam illic velocius movetur motu suo proprio, & ponit exemplum Solis & Lunæ: Sole enim accedente ad auge, videlicet i. cancri gradum, velocius crescunt vegetabilia omnia, ab auge verò discedente decrescunt. Similiter cum Luna movetur ad auge, augetur fluxus maris, cum verò recedit, minuitur, donec veniat ad augis oppositum: & quoniam Luna bis quolibet mense est in auge, hoc est, apogæa, scilicet in conjunctione cum Sole, vel oppositione, ideo etiam bis in mense lunari fluit, refluitq; mare. De natura quoq; Lunæ Albumasar 4. major. introd. differ. 7. & Alkindus in Epist. cap. 5. tradunt: Lunam in prima quarta mensis esse calidam & humidam, magis tamen humidā, cum fuerit in hac quarta ascendens in circulo suæ augis: in quarta verò secunda mensis, calidam & siccam, magis tamen calidam, si fuerit ascendēs, si enim descendens fuerit, natura ejus erit calida & sicca æqualiter: In tertia quarta ajunt esse frigidam & siccam, si que fuerit ascendens, magis etiam siccam: In quarta deniq; quarta mensis frigidam & humidam, sed magis frigidam, siq; ascenderit, aderit modicus calor, sed juxta Alkindum humiditas vincet. Fortior quoque ejus natura est in medietate zodiaci septentrionali quam austrina. Hactenus illi.

De Saturno constat, naturam ejus esse, omnium consensu

& experientiâ, frigidam & siccam, & frigiditas quidem ab eo separari nequit: est enim qualitas merè activa, sed siccitas ejus quandoque in aliam qualitatem mutari potest: est enim qualitas magis passiva. Si igitur Saturnus fuerit ascendens de medio circulo suæ augis, frigiditatis & siccitatis est autor, similiterq; cùm fuerit in signo & quarta frigida & sicca. In signis autem calidis & siccis, frigiditas ejus minuitur: siccitas verò ejus intenditur: In signis humidis minuitur ejus siccitas: item, si fuerit cum Planeta humido, & in quarta humida: Frigidus & humidus efficitur, si fuerit cum signo & Planeta humido, vel etiam in termino Planetæ humidi. Descendens verò in circulo suæ augis, in signis calidis & siccis, minuet frigiditatem suam & humiditatem, idq; similiter, si fuerit in quarta calida & sicca, aut in termino Planetæ calidi & sicci: siccitas autem ejus semper augebitur. Et quod de Saturno hîc dicitur, de reliquis quoque Planetis, juxta eorum naturas & qualitates, neq; nō eorundem ascensiones & descensiones in circulo suarum augium, qualitates item & naturas locorum cœli, in quibus inventi fuerint, proportionaliter intelligendum. • Dicit præterea Alkindus, quòd Saturnus, si fuerit in statione secunda ad cōjunctionem, maximè frigefaciat & humectet, ob elongationem motus sui supra epicyclum, idq; à 15. gr. tauri, usq; in 15. leonis: cùmq; præterierit hanc partem, perveneritq; à conjunctione ad stationem primam, postquam sit retrogradus, frigidus erit & humidus, maximè verò à 15. gr. scorp. usque ad 15. aquarii, frigefacere observatum est. Jupiter à 15. gr. tauri, ad 15. leonis est calidus & humidus: sed in statione prima usq; ad oppositionem, calefacit, debilitatq; humectat: retrogradus caliditatem intendit. Et

*Prac. Generale.* primò sciendum, omnes Planetas ponderosos à conjunctione

*NB.* sua ad oppositionem humectare, ab oppositione verò ad conjunctionem exiccare. Sic Saturnus æstuat humidus. Mars & Sol

Sol calefcunt humidius, Luna Venusq; frigeſcunt. Mercurius accommodat ſe illis, à quibus aſpicitur, ſed parum deſiccatur, niſi quòd à ſtatione ſecunda uſq; ad conjunctionem eſt frigidus, & à combuſtione ad ſtationem primam eſt calidus, fortiorq; eius caliditas in retrogradatione: fortior quoq; caliditas eſt, cùm fuerit in linea ſeptentrionali, & propè zenith caput, in inclinatione verò meridionali frigidus & humidus. <sup>2</sup> Fortior quoque caliditas Planetarū eſt, cùm ſunt retrogradi, & fortior frigiditas, cùm ſunt directi. <sup>3</sup> Eſſectus & actiones Planetarum calidorum in declinatione ſeptentrionali, & zenith capitis fortiores eſſe, debiliores verò in declinatione meridionali. Hæc Alkindus. Albumaſar tres superiores, Saturnum, Jovem & Martem, à tempore ſui ortus à Sole, uſq; ad ſtationem primam ait humectare, à ſtatione verò prima, uſq; ad oppoſitionem Solis calefacere, hinc verò uſq; ad ſtationem ſecundam ſiccare, à ſtatione ſecunda, uſq; ad conjunctionem cum Sole, frigeſcere. Sed natura Veneris & Mercurii, cùm fuerint retrogradi, à tempore ortus ſui, donec iterum fuerint directi, eſt humectare, à directione uſq; iterum ad conjunctionem cum Sole, calefacere, à conjunctione verò & occaſu eorum, id eſt, cùm veſperi in occaſu poſt Solis deſcenſum apparent, circa ſtationem primam ſiccare, à tempore verò retrogradationis, uſq; dum Soli iterum jungantur, frigeſcere. Hæc Albumaſar.

*Hæc Albumaſaris, cum experientia magis concordant.*

## C A P. IX.

*De ſignificationibus Planetarum, cùm fuerint conjuncti in aliquo ſigno, & primò de conjunctione 3. ſuperiorum.*

**T**Rium ſuperiorum, hoc eſt, Saturni, Jovis & Martis, ut & Saturni & Jovis coitus in una facie vel termino, dicitur conjun-

conjunctio magna, sicut Jovis & Martis coitus, conjunctio minor. Tres autem superiores juncti, Sole eos aspiciente, significabunt religionis & regnorum mutationes atque everfiones, idq; secundum eorum fortitudinem vel debilitatem, & maxime secundum eum, qui in signo, in quo juncti sunt, vincit. Dicitur autem hæc conjunctio eorum maxima, à magnitudine maximorum & insolentissimorum eventuum, quos conjunctio ejusmodi portendit, & maxime, si aliquis inferiorum suas quoque vires & radios immiscuerit: siq; significator erit fortuna, hoc est, Jupiter vel Venus, significabit fortunam, sin infortuna, id est, Saturnus vel Mars, tribulationem & impedimentum. Sed Saturni & Martis conjunctio dicitur media, quasi medio inter magnam & minorem se habens modo, qualis est Saturni & Martis, sicut conjunctio Saturni & Jovis dicitur major, conjunctio Jovis & Martis minor, ab eventuum scilicet magnitudine, certitudine, & evidentiâ majori vel minori.

Et quidem conjunctionem trium superiorum quod attinet, docet Ptolomæus 2. quadrip. quatuor esse considerata ad rectè divinandum per conjunctiones magnas. <sup>1</sup> In quibus locis vel regionibus eventuri sint effectus significati per conjunctionem magnam. <sup>2</sup> quando contingent, & quamdiu durabunt? <sup>3</sup> in quo genere rerum? <sup>4</sup> an effectus sint boni vel mali? De primo, in quibus scilicet regionibus contingent ejusmodi effectus, Ptolomæus 2. quadrip. c. 7. jubet considerare signum, in quo fit conjunctio, nec non regiones & civitates, quæ triplicitati illius signi sunt subjectæ, vel etiam ejusdem signi, & triplicitatis domino: ut si conjunctio fieret in ariete, considerandum esset, quænam regiones & civitates arieti subsint, tum etiam domino ejus, videlicet Marti. Cumq; aries sub se habeat Angliam, Germaniam, Galliam, Bastarniam, Syriam, Palæstinam, Burgundiam superiorem, Silesiam superiorem, Poloniam

mino-

minorem, Neapolim, Florentiam, Capuam, Ferrariam, Veronam, Pergamum, Patavium, Brunsvigum, Cracoviam; Mars autem dominus signi arietis, subjectos habeat Sauromatas; Longobardos, Getulos, Gothos, & magnam septentrionis partem, Cracoviam, Patavium, Ferrariam, conjunctionis etiam magnæ effectus in has regiones & provincias potissimum incident. Idemq; iudicium esto de cæteris. Quæ præterea regiones mundi, provinciæ & civitates signis zodiaci sequentibus, & arieti succedentibus subjiciantur, non est *arquet*, hic meminisse:

Taurus igitur habet Parthiam, Mediam, Persiam, Cyprum, Asiæ partem minorem ad mare, Poloniam majorem, Russiam, Campaniam, Rhetiam, Helvetiam, Franconiam, Lotharingiam, Hyberniam, & Suetiæ partem, Bononiam, Mantuam, Senam, Tarentum, Parmam, Lucernam, Herbiopolim, Metim, Brixiam, Burgim Hispaniæ, Posnam, Lipsiam.

Gemini habent Hyrcaniam, Armeniam, Marmaricam, Cyrenaicam, inferiorem Ægyptum, Sardiniam, Brabantiam, Ducatum Wirtembergensem, Flandriam, Longobardiam, Noribergum, Lovanium, Moguntiam, Bambergam, Brugim, Cordubam.

Cancer habet Numidiam, Africam, Bithyniam, Phrygiam, Colchiden, Carthaginem, regnum Franciæ, Scotiam, Burgundiam, Prussiam, Hollandiam, Selandiam, Constantinopolim, Venetias, Mediolanum, Genuam, Lucam, Lubecum, Treverim, Magdeburgum, Bernam, Gorlitiium, S. Andream.

Leo habet Phœniciam, Chaldæam, Orchiniam, Italiam, Galliam togatam, Siciliam, Apuliam, Bohemiam, Turciæ partem, Emiliam, Damascum, Romanam, Ravennam, Syracusas, Perusium, Ulmam, Confluentiam, Cremonam, Pragam.

Virgo habet Mesopotamiam, Babyloniam, Assyriam, Græciam, Achajam, Cretam, Ciliciam, Croaciæ, Carinthiam.

Silesiam Inferiorem, partem Rheni, Rhodum, Alexandriam, Hierosolimam, Corinthiam, Papiam, Brunsvicum, Utraviviam, Erphordiam, Basileam, Heidelbergam, Lutetiam Parisiorum, Tolosam.

Libra habet Bastrianam, Caspiam, Thebaidem, Trogloditicam, Aethiopiā, Thusciam, Austriam, Afsatiam, Livoniam, Sabaudiam, Delphinatum, Sueviam, Placentiam, Argentoratū, Viennam Austriae, Francofurtum ad Moenum, Spiram, Halam Suevorum, Arelatum, Lyfibonnam.

Scorpius habet Cappadociam, Commagenam, Judaeam, Idumaeam, Mauritaniam, Getuliam, Suetiam occidentalem, Bavariam superiorem, Aquilegiā, Padram, Brixiam, Gedarum, Motracum, Valentiam Hispaniae.

Sagittarius habet Arabiam felicem, Tyrrheniam, Celticam, Hispaniam, Portugaliā, Ungariam, Dalmatiam, Moraviam, Sclavoniam, Coloniam Agrippinam, Stucgardium, Rotenburgum ad Tubarim, Toletum, Narbonam.

Capricornus habet Indiam, Gedrosiam, Macedoniam, Illyridem, Thraciam, Albaniam, Bulgariam, Graeciam, Lithuaniam, Saxoniam, Thuringiam, Hassiam, Brandeburgum, Anthonam, Augustam Vindelicorum, Constantiam, Juliacum, Bergam, Gandavum, Mechlinum, Oxonium, Orcades Insulas.

Aquarius habet Arabiam petream, Oxianam, Aethiopiā, Sarmatiam, Tartariam magnam, Daniam, Russiam, Suetiae partem meridionalem, Valachiam, Pedemontium, Westphaliam, Mosellanos, Alkeiram, Tridentum, Hamburgum, Bretram, Ingolstadtium, Saltzburgum.

Pisces sub se habent Garamantes, Phazaniam, Lydiā, Pamphyliam, Calabriam, Nordmanniam, Ratisbonnam, Wormatiam, Rhotomagum, Compostellam, Roanem, Sybilliam, Hyspaliā.

Hæc

**Hactenus de regionibus, provinciis, & civitatibus, quibus zodiaci signis subjiciantur. Nunc ad propositum revertamur.**

Albumasar tract. 1. de conj. magn. diff. 2. inquit, quod, si ceciderit conjunctio magna in triplicitatem igneam, præcipue verò conjunctio duorum superiorum, Saturni & Jovis, significet fortitudinem incolarum plagæ orientalis; estq; in ista triplicitate fortius signū sagittarius, mediocre leo, debilius aries: & cum incidit in triplicitatem terræam, significat fortitudinem incolarum meridiei: fortius autem in hac triplicitate signum est capricornus, mediocre virgo, debilius taurus. Cum verò incidit in triplicitatem aëream, significat robur incolarum occidentis: estq; fortius in ista triplicitate signum aquarius, mediocre libra, debilius gemini. Quod si verò incidit conjunctio in triplicitatem aqueam, significabit fortitudinem incolarum septentrionis: est autem fortius signum in ista triplicitate piscis, mediocre scorpius, debilius cancer. Messahala c. 10. de conjunct. de conjunctione Saturni & Jovis ait, quod, si fiat in aliquo angulorum, maximè verò in medio cœli, significet exaltationem Regis, Principumq; conventus & deliberationes de regno & dominio. Hæc Messahala.

De secundo, quo scilicet tempore eventuri sint effectus magnarum conjunctionum, & quousque duraturi, sciendum, considerandos esse dominum signi, in quo fit conjunctio, & dominum triplicitatis signi: hi enim orientales & stationarii, effectus maturabunt, occidentales verò & sub radiis, eosdem retardabunt. Ptolomæus jubet considerare intervallum, inter conjunctionem & ascendens anni, in quo fit conjunctio, indeque tempus eventus investigat. Durationis tempus colligitur ex fortitudine vel debilitate dominorum conjunctionis: nam Planete dominatores si fortes fuerint, diutius durabit effectus, si debiles, contra.

M 2 De



De tertio, in quo genere rerum effectus contingant, id scitur ex qualitatibus & formis seu figuris signi conjunctionis, & signis, in quibus stellæ erraticæ & fixæ consistunt, quarum scilicet in signo conjunctiones, & in signo ascendentis dominantur, quæque in iisdem duobus locis plures dignitates obtineant essentielles & accidentales. Ptolomæus in primis considerat dominium stellarum fixarum, illarum scilicet quæ à signo conjunctionis, & in ascendente apparuerunt. Nam imagines & res, quas ipsæ stellæ repræsentant & expriment, conjunctionum effectus in certo rerum genere præmonstrant. Et scribit Messahala lib. de conjunct. Planetarum superior. cap. 9. 10. & 11. quamlibet conjunctionem magnam in signo igneo significare siccitatem & corruptionem frugum, & famem: in signo aërio, multitudinem ventorum: in signo terreo fixo, ut tauro, gelu, nives & frigus, in signo aqueo pluviarum multitudinem & pestem: Item, conjunctio magna in signo humano significat multitudinem ægritudinum in hominibus, inq; signo masculino destructionem animalium masculorum, in foeminino corruptionem foemellarum. Conjunctionem duorum inferiorum, videlicet Jovis & Martis, si fuerit in aliquo angulorum, rerum contrarietatem, seditiones, & turbarum publicarum perseverantiam significasse, observatum est, usq; dum iterum conjunguntur. Qualibet deniq; conjunctio magna in signo fixo, malum stabile, in mobili, facile mutabile, in signo communi, medium seu mediocritatem in bono vel malo præfigit.

De quarto, qualisnam sit eventus significatus per conjunctionem magnam, Ptolomæus 3. quadripart. cap. 8. considerat naturas Planetarum dominantium super conjunctione magna, prætereaq; quibusnam cum Planetis dominatores radios suos commisceant, ex natura namq; dominorum, horumque configuratione cum aliis, qualitas effectus futuri apprehenditur.

**Sur** Siq; fortior significator fuerit fortuna, significabit bonum, si in fortuna, impedimentum & malum. Item : In conjunctione Saturni & Jovis, si vincat Saturnus, significabit detrimentum, corruptionem, siccitatem, famem, turbas. Item : Tres superiores juncti in essentialibus dignitatibus suis, significant bonum temporis & anni statum, sed multitudinem seditionum & bellorum. Si juncta fuerit fortuna cum malo, inquit Messahala, judicandum est secundum eum, qui fortior existit: si verò malus cum malo, vincet malum, nisi fortunæ respexerint ac præfuerint. Ptolomæus verò in centiloq. prop. 63. jubet considerare in conjunctione Saturni & Jovis, quis eorum sit altior in circulo suo brevi, hoc est, epicyclo: nam secundum naturam eius judicabis in mundo.

De conjunctione duarum infortunarum, hoc est, Saturni & Martis, Albumasaris sententia est, quòd in ascendente significet continuum populi detrimentum: in 2. aut 8. domo malam famam divitum, egestatem, paupertatem in vulgo, censuumq; ac vectigalium diminutionem: in 3. aut 9. malum, horribilia accidentia & discordias: in 5. aut 11. liberorum mortem, militumq; & armorum multitudinem: in 4. frequentem civium ruinam, bonorumq; dissipationem: in 6. aut 12. inimicitias, rapinas, & bestiarum deprædationem: in medio coeli, mortem Regum ac majorum in illis climatibus ac regionibus, quæ sunt illi signo subjectæ, in quo fit conjunctio. Hæc Albumasar de conjunct. infortunarum. De conjunctione Jovis & Martis in suo lib. de conjunct. magnis nihil ferè habet, quod annotatione sit dignum. Sed Messahala c. ult. in lib. conjunctionum breviter de ista conjunctione dicit, quòd significet aëris corruptiones per pluvias & nubes, nec non seditiones, siq; conjunctionis dominus fuerit fortuna, significatur per ipsam conjunctionem fortuna, si in fortuna, malum: & si fuerit conjunctio

in ascendente, vel aliquo angulorum, excitabit discordiam & seditiones inter Reges & potentes, maxime verò in medio cœli. Hæc Messahala.

## C A P. X

*De effectibus & accidentibus in mundo per  
Eclipses.*

**P**Ræcedente capite dictum est de eventibus, qui contingunt in mundo per conjunctiones magnas, sequitur de eventibus & effectibus per eclipses. Et quidem majores effectus sequi eclipses luminarium, quàm conjunctiones, experientia evidenter confirmat. Nam virtutes amborum luminarium in eclipsi Solis conjunguntur & commiscentur, & ad nos pervenit virtus unïta & mixta per lineam rectam. Idemq; contingit in oppositione eclipsali, in qua utriusq; luminaris virtus ad terram mediante linea recta transeunte per centra eorum, deferretur. Accidit autem, ut illa virtus unâ hora sit fortior, aliâ debilior, fortior, cum in eclipsi concurrunt virtutes stellarum fixarum insigniorum, tunc enim virtutes stellarum spirituales cum luminaribus uniantur & commiscentur. Quanto enim major est unio & commixtio virtutum cœlestium, tanto majora & evidentiora existunt significata futurorum eventuum, inquit Haly. Sunt autem accidentia, quæ fiunt in hoc mundo, vel majora, ut bella, pestis, fames, diluvia, terræ motus, & hujusmodi: vel minor, quæ scilicet quatuor anni temporibus contingunt, ut frigoris vel caloris augmentum, item siccitatum, pluviarum, ventorum, quæ omnia ex luminarium eclipsi fieri possunt, cum intentione Ptolomæi.

Ceterum in divinatione per eclipses quatuor Ptolomæus vult considerari: in qua primum effectus per eclipses signifi-

gnificati sint eventuri? <sup>2</sup> quando & quo tempore? <sup>3</sup> in quo  
terum genere? <sup>4</sup> an bonum vel malum sit accidens illud per  
eclipsin significatum?

De primo: Certum est, quasdam eclipses esse conjunctas  
cum magna virtute stellarum, significareq; propterea magna  
ac durabilia accidentia, ac contingere in multis provinciis. E-  
ventus autem, eclipsin illam sequentes, in illis potissimum re-  
gionibus contingent, quæ convenientiam habent cum illa tri-  
plicitate, sub qua, seu in cujus signo sit eclipsis: nam aër, inquit N.  
Haly, facilius transfert virtutes cœlestes ad nos, quàm crassi-  
ties terræ. Maximè igitur considerandum signum est, in quo  
contingit, seu in quod incidit eclipsis: in ea enim regione vel  
terra, quæ signo ecliptico subest, futuri eventus evenient. Haly  
accipit angulum eclipsi propinquire, hujusq; anguli signum,  
ex eoq; judicium sumit de effectibus eclipsium: & in hoc con-  
sistere ait, maximum judicium, ut attendatur, fortunane do-  
minetur ibi, an infortuna, item an universalis sit eclipsis, an par-  
ticularis, & quinam Planetæ eam aspiciant, mali enim si fue-  
rint, malum, boni bonum significabunt.

De secundo: Cùm eadem eclipsis non eadem hora appa-  
reat in omnibus regionibus, nec æqualiter duret in regionibus  
omnibus, si scilicet sit eclipsis Solis, oportet considerare horas  
æquales istius durationis, idq; respectu regionis, in qua effectus  
est eventurus, ponendiq; sunt anguli secundum altitudinem  
poli. Nam secundum Haly, ab ascendente initii eclipsis scire  
possumus, quando incipiet effectus, & ab ascendente Eclipsis  
Medii, quando effectus est major, & ab ascendente finis ecli-  
pseos, effectus complementum & finem, ab ascendente deniq;  
conjunctione vel oppositione, quinam Planetæ sit dominus  
eclipsis. Secundum Ptolomæum igitur per tot annos durabit  
eclipsis solaris effectus, quot horis æqualibus duravit eclipsis  
ipsa:

ipsa: vel per tot menses, si fuerit Eclipsis Lunaris. Cujus rei causa est, quod Sol annuo, Luna vero mensis spacio circulos suos peragrant. Et dicit Haly, quod respiciendum sit ad dominos principii, medii & finis eclipsis, ut dictum est, v.g. si in principio eclipsis dominetur fortuna, & in eadem simul etiam infortuna, dicendum, effectus futuros esse mixtos, partim malos, partim bonos: si autem in principio dominetur infortuna sola, significabitur in principio damnum majus, & ita de cæteris judicandum secundum Haly. Quod si verò locus eclipsis fuerit in parte orientali horizontis, secundum Ptolomæum, vel secundum Haly in quatuor primis horis inæqualibus diei vel noctis, tunc effectus initium erit in primis quatuor annis, vel quatuor primis mensibus sequentibus. Significatio enim eclipsis lunaris non potest durare ultra 12. menses, & 12. annos in eclipsi solari. In medio autem cœli si fuerit eclipsis, hoc est, secundum Haly, si eclipsis 4. primis horis eclipsis fuerit in 4. horis sequentibus, tunc effectus initium erit post 4. primos annos vel menses. In occidentali horizontis parte, id est, in ultimis 4. diebus diei vel noctis, initium effectus erit post annos 3. vel menses. Maturant quoque effectus, eventusq; accelerant Planetæ, qui existunt eclipsium domini, vel etiam radiis suis loca eclipsium afficiunt, si fuerint motu veloces, orientales: motu verò tardi & occidentales, contrarium significant. Malos deniq; effectus producunt Planetæ malè positi, id quod patet ex positu Saturni & Martis, quorum malitia augetur, si in figura cœli in malo sunt loco, ut rectè inquit Haly.

De tertio: in quo rerum genere contingant ejusmodi effectus, inquit Ptol. 2. quadrip. c. 7. ex qualitatibus & proprietatibus signorum, in quibus sunt eclipses, & signorum etiam dominis, tum etiam stellis fixis ad signum, in quo contingit eclipsis, pertinentibus, id sciri posse. Nam si figura signorum zodiaci

diaci sint similes figuris humanis, eventus fiet in genere hominum: si verò sint similes animalibus feris, effectus contingent in bestiis, vel per eas: si reptilibus, per serpentes: si animalibus domesticis, ut equis, vaccis, &c. effectus quoq; per eadem evenient: si animalibus aquaticis, per & in aquis. Sunt autem signa humana, gemini, virgo, libra, aquarius, & prima medietas sagittarii: in figura quadrupedum sylvestrium est leo: in figura domesticorum sunt aries, taurus, & ultima medietas sagittarii: in figura reptilium scorpius: in figura piscium, cancer & pisces. Nectantur imagines in zodiaco, sed etiam extra zodiacum, tam à parte septentrionis, quàm à parte meridiei sunt considerandæ, & præcipuè ad quod zodiaci signum sint referendæ. Ptolomæus enim de figuris bestiarum sylvestrium versus septentrionis partem conspicuarum ait significare subterraneos & repentinos motus ac concussiones, quæ verò sunt versus meridiem, mutationes aëris horrendas, cum pluviarum multitudine, & repentina aëris mutatione. Quare si stellarum loca, quæ dominando disponunt, fuerint in signis alatis, ut sunt virgo, sagittarius, gallina, vultur volans, tunc eventus evenient ex avibus: & si fuerint in figuris animalium marinorum & natabilium, ut sunt cancer, capricornus, delphinus, pisces, aquarius, effectus erunt ex aquis, fluviis, navibus, & rivis. In signis autem æquinoctialibus & solstitialibus generalis significatio est, & percipitur in mutationibus aëris & temporum anni: siq; fuerit aries, in vere: si cancer, in æstate: si libra, in autumnio: si capricornus, in hyeme: ac fiunt istiusmodi significaciones in calore, frigore, ventis, aquis, & id genus aliis. Hæc secundum Haly. Verùm secundum Ptolom. in signo æquinoctii verni, significatio pertingit ad fructus arborum, cum adollescere jam primùm incipiunt: in signo æstivalis solstitii ad fructus, qui reservantur & colliguntur in annonâ, quamvis in Ægypto specialis

N

cialis

cialis significatio respererit Nilum : in signo equinoctii autumnalis, ad sementia, omniaq; ea quae seminari possunt : in signo deniq; solstitii hyemalis, ad animalia, aves & pisces. Item : si fuerint in signis aequinoctialibus, significant eventus contingere in sanctuariis & rebus pertinentibus ad res sacras & religiosas : in signis solstitialibus, mutationes legum & morum in populo : in signis fixis, aedificiorum, immobiliumq; rerum destructiones : in signis bicorporeis, significatio pertinet ad homines, Reges & Principes, cuius rei causam hanc reddit Haly, quia, sicut signa bicorporea participant de natura fixorum & mobilium : ita homo habet participationem cum aliis substantiis omnibus, unde etiam dicitur microcosmus, id est, minor mundus. Dominus deniq; loci ecliptici si extiterit in oriente, eventus erit in arboribus, frugibus, & aestate : in medio coeli, in rebus pertinentibus ad res sacras & religionem : in occidente, significabit eventus futuros in seminibus, mutationibus politicis, morituris, & quidem in autumno.

De quarto : Res per eclipsin significata, bonane sit animalia, cognosci potest ex natura Planetarum dominantium super loco ecliptico, & ex aspectibus eorundem, tum etiam a loco coeli, in quo existunt. Si enim dominator fuerit maleficus, inq; malo coeli loco, mala significabit, sin beneficus, bona. Mixta pronuncia, si beneficus cum malefico vel fuerit junctus, vel alter alterum aspexerit, tum quoq; locus eclipticus, si benefico simul ac malefico radio a dominatoribus fuerit affectus.

Haec de futuris accidentibus in mundo per eclipses dixisse sufficiat.

Sequitur

CAP.

## C A P. XI.

*De generalibus quibusdam regulis, pro aëris temperie vel intemperie cognoscenda.*

**H**ic verò in primis diversitas motus Planetarum in quartis anni venit observanda. Alkindus lib. 2. epist. inquit, Planetas retrogrados à principio cancri usq; ad principium libræ, Sole existente cum illis in eadem quarta, summum significare calorem in quarta septentrionali: frigescere verò interim meridionalē, ventos quoq; septentrionales flaturōs, qui consumpturi sint fructus & herbas usq; ad finem, & si fuerint Planetæ in imo eccentricorum suorum, calor erit intensior. Cùm verò fuerint retrogradi à principio cancri, usq; ad principium libræ, Sole progrediente à libra ad capricornum, quod congelatum frigore in parte septentrionali est, solvent motu & calore suo, tuncq; septentrionales venti mutabuntur in frigiditatem. Sed directi si fuerint, Sole à libra progrediente ad capricornum, summum excitabunt frigus, quoniam tunc calor eorum debilitatur: Sole verò discedente à capricorno usq; ad arietem, frigus non adeo erit immane, nisi septentrionales venti frigido afflatu illud adauxerint: eodem pergente ab ariete usque ad cancrum, tempus illud temperatū erit cum vento septentrionali: tunc enim Sol ad verticem nostrum accedens propius in septentrionali climate gelu solvit, juvabuntq; tunc operationem Solis Planetæ calidi.

Quòd si verò fuerint retrogradi & orientales à libra ad capricornum, & fuerit Sol cum illis, multiplicabuntur septentrionales & meridionales venti, eruntq; pluvix multæ: directi verò & occidentales summum gelu excitabunt à parte septentrionis, quiescentq; venti meridionales: manentibus verò in



eadem quarta retrogradis, Sole interim discedente à capricorno ad arietem, tempus illud erit impensè humidum ob ventorum meridionalium abundantiam, unde solvetur gelu in septentrione: si verò illic fuerint directi & occidentales, Sole, ut antè, à capricorno ad arietem tendente, tempus illud reddent magis siccum: iisdem iterū retrogradis, & Sole in prima quarta zodiaci, hoc est, ab ariete usq; ad cancrum pergente, humiditas augebitur: Sole autem à cancrò ad libram progrediente, calor intendetur cum siccitate, nisi meridionales venti obstituerint.

Idem Sol à capite seu principio capricorni usq; ad caput arietis, & retrogradus Planeta cum eo, parcam humiditatem, significat: si duo retrogradi fuerint cum eo, erit humiditas magna, si tres, adhuc major, si quatuor, similis diluvio, fortiorq; in quarta vernali circuli scilicet ab ariete in cancrum: non verò retrogradus Planeta cum Sole ad siccitatem magis inclinat.

Sol in declinatione meridiana aërem disponit ad partem septentrionalem, quia calefcit pars meridionalis, frigefcit septentrionalis: cumq; Planetæ retrogradi fuerint cum Sole in illa quarta, existent venti fortes.

*Regula generalis de temporibus & constitutione aëris, &c.*

Observanda autem hic in primis Luna est; quæ juncta Planetæ retrogrado, lumineq; aucta, erit signum pluvix, fortis, mediocris vel debilis, prout ipsa Luna fortis fuerit vel debilis.

Juncta autem Planetis directis in æstate, & lumine aucta, significabit grandines & fulgura.

Idem significatur, si fuerint directi in parte septentrionali, & retrogradi in meridionali.

Retrogradi cum Sole & Luna in prima & secunda quarta circuli, ventos meridionales & pluvias denotant.

Nota, quòd tempus ab ortu Solis usque in meridiem est naturæ vernalis, à meridie usq; ad occasum Solis, æstivæ, ab occasu

casu Solis usq; ad mediam noctem, autumnalis, à media nocte usq; ad ortum Solis, hyemalis.

Combustus Planeta, & directus in quarta autumnali, significat frigus.

Combustus in quarta hyemali, nebulas & ventos meridianales.

Combustus in quarta vernali, aërem subilum & turbidum.

Combustus in quarta æstivali, calorem, fulgetra, & tonitrua.

Luna in declinatione meridionali applicans Planetis directis, siccitates significat: frigiditatem vero summam, si lumine sit diminuta, & cum fuerit in declinatione septentrionali. Sed hæc sunt generalia magis, ex quibus etiam prognostica de aëris temperie vel intemperie non ita evidenter & facile emantur. Itaq; progrediemur ad specialiora.

## C A P. XII.

*Regulae speciales, de aëris temperie vel intemperie, per revolutiones annorum, & initia quartarum anni, cognoscenda & dijudicanda, & primum de intemperie caloris.*

**N**ON est mihi propositum, amice lector, novas hinc regulas & canones condere ex iudicio meo, sed veterum Astrologorū sententias de mutationibus in aëre variis, nunc ad calorem, nunc ad siccitatem, nunc ad frigus, nunc ad humiditatem, & quidem quandoq; stupendam, in unam quasi colligere summam. Nam quoties aliquis de suo quasi novum aliquid protulerit,

lerit, toties judiciorum variorum ludibrio se deridendum pro-  
 pinat. Misera enim fortuna, quam non comitetur invidia. Qui  
 ergo jam sequuntur, de aëris tempestatumq; prognosticis ca-  
 nones, eos ne vilipendas, ne rejicias: sunt enim longâ experien-  
 tiâ & observatione, sapientissimorumq; hominum judicio re-  
 cepti, confirmati, ac posteritati traditi, licet non æquè omnes  
 semper, hoc nostro ævo cum recentiorum observationibus  
 consentiant, ob virtutes cœlorum de annis in annos senescen-  
 tes & collabentes. Si tamen ad veterum experientiam nostri  
 hujus seculi observationes accesserint, experimentum per dies  
 ac noctes, menses & annos, perq; sequentes canones, assidue  
 facturus re ipsa comperiet, non esse planè fallax. Ordine itaque  
 speciales illos canones, numeris distinctos, subjiciam.

Hi canones tam in privata, quam publica conversatione  
 & vita plurimum afferunt, tum ad judicium rectè informan-  
 dum, moresq; ac impetus animi vehementiores & immode-  
 rationes, refrenandos, coercendos, & moderandos, momenti  
 & adjumenti, tum etiam, ad multa pericula atque infortunia,  
 quæ ex malevolarum stellarum dominiis sunt eventura, evi-  
 tanda, vel mitius sustinenda.

1. Mars præses anni si fuerit, (id autem patet ex thema-  
 te revolutionis annuæ) absq; Saturni radiatione, extiteritq; in  
 signis meridionalibus, æstatem reddet æstuantem, hyemem  
 verò frigore temperatam. Albumasar. 4. major. introd. diff. 5.

2. Mars in æstate cum Sole, absque aspectu Saturni, aut  
 alterius Planetæ, & in fine signi, eò quòd fines signorum sint  
 malorum termini, augebit æstate calorem, & ad durationem  
 intendet, siq; Mars fuerit in hyeme, temperabit eam, septen-  
 trionalibus enim hyemem mitigabit, australibus verò exa-  
 sperabit.

3. Mars naturaliter comburitur, & cum fuerit in capri-

coro, combustionis augeatur. Albumas. 5. major introduit. diff. 6.

4. Luna anni præses eo modo quo Mars, aut in quibusdam temporibus anni Soli permixta, erit prima quarta anni plus iusto calidior & humidior, secunda verò quarta calidior & siccior. Idem.

5. Mars anni dominus in signo aërio, paucas designat pluvias, sed calorem gravantem. Idem.

6. Mars in revolutione anni, descendens in triplicitatem igneam, ut sunt aries, leo, & sagittarius, calorem augebit, idq; eò fortius, cum anno præ fuerit. Idem.

7. Descendens in triplicitatem aëream, hoc est, geminos, libram, & aquarium, similiter caloris auctor est, cum modica tamen humiditate. Idem in lib. suorum experim. c. de calid. & frigid.

8. Jupiter dominus anni & in piscibus, denotat ingentem calorem per æstatem. Idem lib. suorum experim. de domino anni.

9. Mars dominus anni in ariete intensi caloris auctor est. Idem.

10. Mars anni dominus in cancro caloris autor est. Ibid.

11. Mars dominus anni in scorpione calorem per æstatem intendit. Ibid.

12. Mars in triplicitate arietis retrogradus, & in angulo, simulq; anni dominus, significat calorem perdurantem, donec in aliud signum progrediatur. Idem de conj. magnis diff. 8.

13. In conjunctione vel oppositione præcedente introitum Solis in arietem, vide quod signum tenuerit Saturnus illa hora: si enim fuerit calidum, significabit calorem. Alkindus in sine ferè epist. sua, id est, c. ult.

14. Cum Sol singulas quartas anni ingreditur, Jupiter est notandus, cum hora conjunctionis vel oppositionis præceden-

den

dētis introitum Solis in quarta, eodemq; modo, sicut de Sa-  
turno est judicandum. Idem.

15. Vide dominum conjunctionis vel oppositionis præ-  
cedentis introitum anni, & quartæ, nec non dominos omnium  
conjunctionum & oppositionum per annum, dominos item  
ascendentis anni, & ipsius quartæ, vide præterea quis alter al-  
teri radiis applicet, & præcipue quinam ex illis sint in præcipuis  
vel dignitatibus stellarum, quibus applicant: si enim applica-  
verint Soli, prædicent calorem & siccitatem, si Marti, similes  
calorem.

16. Mars hora conjunctionis vel oppositionis præce-  
dentis introitum anni, inventus in angulo ascendentis, aut in  
alio aliquo angulorum, fortis, & in aliqua suarum dignitatum,  
& maxime in angulo medii cœli, calorem duplicabit, si fuerit  
æstas, hyemem verò & tempus frigidum ad temperiem quan-  
dam reducet: cum domino verò ascendentis si fuerit in angu-  
lo, minor erit & debilior ejus significatio. Idem.

17. Mercurius in medio cœli ab ascendente conjun-  
ctionis inventus in aliquo signo aërio, aëris mutationem, &  
ventorum noxiorum est autor. Alkind. & Haly Abenrag.

NB.

18. Quicumq; Planeta ab ascendente conjunctionis in  
angulis fuerit repertus, is erit significator: deinde verò ulterius  
vide, quas commixtiones & aspectus habeat cum Saturno vel  
Marte: siq; cum inveneris in quadratura vel oppositione Mar-  
tis, vel etiam conjunctum cum ipso, & Mars fuerit in signo im-  
plicitatis ignis, æstate calor multiplicabitur, hyeme verò fri-  
gus diminuetur: si verò aspectus fuerit trinus vel sextilis, idem  
quidem significabitur, sed remissius.

19. Significator verò commixtionem habens cum Sa-  
turno, fueritq; in conjunctione vel quadrato, & Saturnus in si-  
gnis frigidis & siccis, ut taurus, virgo, capricornus, aut frigidis  
& hu-

& humidis, ut cancro, scorpione, piscibus, hyeme frigus accumulabunt, caloremq; æstate minuent.

20. Saturnus in signis calidis & humidis habens commixtionem cum significatore per oppositionem, quadratum, vel conjunctionem, significat aëris bonum statum & temperiem: siq; hæc commixtio fuerit in sextili vel trigono, significatio erit fortior, aëriq; complexionis melioris.

21. Mars quoq; habens commixtionem cum significatore, fueritq; in signis humidis & frigidis, aut frigidis & siccis, sitq; in quadrato, conjunctione aut opposito, temperat aërem, eumq; ad bonum statum immutat: si verò Mars cum significatore habuerit aspectum sextilem vel trinum in signis enumeratis, major erit temperies, aërisq; bonitas.

22. In introitibus Solis in 20. grad. scorpionis quære *NB.* ascendens cum locis Planetarum ad horam eandem, & postea aspice Martem, siq; ipsum inveneris in aliquo angulorum, maxime verò in medio cœli, & in aliquo signorum aëriorum, habueritq; commixtionem cum Mercurio, significabit tonitrua, coruscationes, & pluvias noxias cum aëris damno: siq; fuerit in angulo terræ in signo terreo, fuerintq; fortunæ ab ipso remotæ, habueritq; commixtionem cum Mercurio, terræ motus, igneas in aëre apparitiones, res horrendas in minerisq; terræ damnum minatur. Si verò fuerit in angulo terræ, & signo aqueo; damnum animalium in & per aquas: in igneis signis, combustiones, frugumque corruptiones per ignem. Fortunæ verò, hoc est, Jupiter & Venus commixtionem cum eo habentes minuent & prohibebunt damnum tonitruorum & coruscationum in illo anno. Alkindus & Haly Abenragel, locis ut suprâ.

23. Quòd si Martis loco fuerit Saturnus, in medioque cœli, & aliquo signorum aëriorum, habueritq; commixtio-

O

nem

nem cum Mercurio, fuerintq; fortunæ ab eo remotæ, significabit in aëre damnum & corruptelam, per pluviarum abundantiam: siq; fuerit in angulo terræ, in signis terreis, habueritque cum Mercurio commixtionem, & fortunæ ab eo sint separata, terræ motum, cum aquarum multitudine: in signis verò aqueis & angulo terræ, aquarum exiccationem, omnibusque aquaticis animalibus detrimentum: in signis deniq; igneis, & angulo terræ, damnum in mineralibus & rebus terrestribus: sique Mercurius non habuerit commixtionem cum eo, erunt prædictæ significationes mitiores & leniores: cum fortunis autem applicans, damnum mitigat.

24. Nulla fit mutatio in aëre, nisi per aspectus, applicationes & commixtiones Planetarum inter se, vel cum stellis fixis.

25. Unde in revolutione anni Luna applicans Mercurio, caloris fumosi nuncia est. Albumas.

26. Mars cum Sole in signis septentrionalibus magni caloris est nuncius. Almanfor.

27. Plures Planetæ in revolutione anni juncti in signis igneis, corruptionem portendant, & famem ex calore & siccitate. Messah.

28. Mars permanens in signo igneo aut aërio, auget caliditatem aeris: Saturnus verò minuet.

29. Saturnus permanens in signo terreo aut aqueo, auget frigiditatem aeris, minuit verò Mars.

*NB.*

30. In iudicando de calore aeris per quartas anni Ptolomæus 2. quadripart. jubet considerare Planetas dominantes in loco conjunctionis, vel oppositionis præcedentis introitum Solis in anni quartam, & similiter, qui dominantur in angulo sequente locum conjunctionis vel oppositionis, an calidi sint, & in signis calidis, & prædicta etiam loca principalia, calida:  
item,

item, an prædicti dominatores sint cum stellis fixis calidis: hæc enim omnia & singula significant calorem per totam illam quartam anni, idq; eò magis & efficacius, si quarta etiam anni fuerit calida.

31. Planetæ calidi cum Sole extremam caliditatem significant, & si fuerint retrogradi in quarta prima, idem iudica. Alkind.

32. Planeta levis combustus in quarta æstivali, significat calorem: ponderosi enim combusti significant id ipsum, debilius. Idem.

33. Æstivo tempore, cum Sol ingreditur terminū Martis, fit æstus, & tempore hyberno siccitas, pluviarumq; paucitas. Hermes in lib. suo de florib.

34. Mars in principio anni, & quarta in signo igneo vel aërio, calorem & ventos à dextris significat.

35. Idem Mars, in conjunctione vel oppositione præcedente introitum anni vel quartæ, si fuerit in angulo terræ, & signo igneo, combustionem significat terræ & feminum.

36. Sunt in super quædã cœli partes, quæ ratione stellarum fixarum, partibus illis inhærentium, significant æris calorem, præcipuè cum eadem partes cœli fuerint, tunc loca conjunctionum magnarum vel eclipsium, aut loca ascendentia tempore conjunctionum vel eclipsium: aut eum fuerint eadem partes cœli loca conjunctionum vel oppositionum luminarium, præcedentium introitus annorum vel quartarum anni.

37. Unde Ptolom. 2. quadrip. cap. iii. ait, ultimas arietis partes comburendi & corrumpendi vim habere, ut & partes ejus septentrionales, sunt enim partes illæ de natura Martis. Et idem quoq; asserit Haly.

38. Tauri signum ad caloris quoq; significationem est



proclivius, partesq; ejus extremæ quæ sunt circa Aldebaram, hoc est, oculum, sunt igneæ.

39. Signi geminorum partes meridionales sunt igneæ & comburentes, sunt namq; de natura Martis.

40. Signum cancri generaliter facit calorem & serenitatem, sed primordia ejus quæ circa præsepe sunt, ærem turbulentant & calefaciunt, partesq; illæ sunt de natura Martis, & partem Saturni: partes verò meridionales secundum Ptol. sunt igneæ & comburentes, sed secundum Haly de natura Martis & Solis.

41. Signum Leonis ærem calefaciendo turbat: partes ejus septentrionales sunt igneæ, & de natura Martis secundum Haly. (Nolim hic excludi Solem.)

42. Virginis partes posteriores calorem faciunt & destrunt.

43. Scorpionis signum est igneum, & septentrionalia ejus comburentia, & totum signum de natura Martis censetur secundum Haly.

44. Sagittarii partes extremæ sec. Ptolom. sunt igneæ, suntq; de natura Martis.

45. Capricorni etiam principium sec. Ptol. urit, estq; sec. Haly de natura Martis.

46. Et piscium partes extremæ sec. Ptol. comburant similes, suntq; de natura Martis sec. Haly.

47. Itaq; si aliquæ stelle calorem significantes, fuerint junctæ Planetis prædictis dominantibus, aut fuerint in dictis locis principalibus, significationes de calore augment & confirmant.

**NB.** Per singulos verò menses anni divinate de aeris calore non debes, nisi prius qualitas illius quartæ anni, cujus mensis est, cognita sit, sicut nec de quarta anni judicandum

est.

est, nistnatura & qualitas domini istius anni præsciatur.

49. Siigitur Planetæ, qui dominantur in loco conjunctionis vel oppositionis, vel etiam quadraturis luminarium, fuerint omnes calidi in signis calidis, vel major eorum pars, & si loca principalia dicta similiter fuerint calida, dominatoresq; sint cum stellis fixis calidis, signum est caloris in illo mense vel etiam quarta. Ptolom. 2. quadrip. c. 12.

50. De calore verò aeris quolibet die divinaturus, observa Lunæ transitum, transiens enim stellam calidam, movebit ventos calidos, siq; aer calefiet. NB.

51. Sic Luna in principio signi si fuerit, vide, quis Planetarum ipsam aspiciat, & secundum hunc de calore judica: si enim Sol aut Mars aspexerint, significabitur calor aeris.

52. Si in conjunctione Solis & Lunæ, vel quocunq; alio tempore, Luna fuerit in domo Martis vel Solis, calorem significat & serenitatem.

53. Observa item, an sit aliquis aspectus inter Planetas habentes domus oppositas, siq; tunc Luna recesserit ab uno, alteriq; applicet, & præcipuè si recesserit ab inferiori, applicetq; superiori, disponetur tempus & aer secundum naturam Planetæ, cui applicat.

54. Siq; hæc administratio etiam tribuatur Soli, aer nunc calore, nunc nubibus alternatim imbuetur. Alkind.

55. Cum calorem excellentem divinare volueris, inquit Linconiensis in tra. de temperie aeris, considerabis Planetarum calidorum concurrentium plura testimonia, & habebis, quod desideras, maximè verò, si in signis igneis fuerint, & trino inter se aspectu.

56. Oportet enim naturam temporis commisceri cum naturis Planetarum. Ptolom.

57. Ut: primò consideranda est quarta anni, cujusram NB.

fit qualitatis & naturæ: si calida est, & plures Planetæ calidi concurrerint in illa quarta, in signo quoq; calido, aspexerintq; se aspectu trigono, & Mars sit anni dominus, prædic calorem excellentem.

NB.

58. Exemplum est annus Christi 1549. in quo Mars erat dominus anni, hominesq; circa meridiem & austrum ob caloris excellentiam & superabundantiam arescentes pericere, cum Sol 15. die Jul. hor. 13. ingressus esset signum leonis, Mercuriusq; tunc per domorum æquationem esset dominus Mensis, testimonia enim caliditatis & siccitatis hic excellent, Sol in signo calido & sicco, quarta anni calida & sicca, Mercuriusq; dominus mensis calidus & siccus.

59. Observandum igitur, utrum signa Planetarum ponderosorum sint calida vel frigida: si calida, significant calorem aëris in æstate, & in hyeme temperiem: sin frigida, significant hyeme frigus, æstate temperiem caloris. Hermes lib. 4. cap. 7.

60. Sed hæc regula, inquit Hermes, debet observari, Sole ingrediente quatuor puncta cardinalia, arietem, cancrum, libram & capricornum, ex quibus aries & libra sunt æquinoctialia: cancer & capricornus solstitialia. Secundum enim hunc modum ordo inferiorum perpetuo superiorum ordini est subiectus.

61. Sol in hyeme cum Planeta calido & sicco facit hyemem minus frigidam & humidam: in æstate verò cum Planeta frigido & humido, eandem reddit minus calidam & siccam.

62. Saturnus cum Sole æstate in signo calido & sicco calorem obtundit, in signo verò humido & frigido, illud tempus, quo sunt juncti, ad humiditatem disponit & frigiditas pluvias. Hactenus de calore.

CAP.

## C A P. XII.

*De prognosticis frigoris.*

1. **S**aturnus quò terræ est propior, eò plus frigefacit: est autem terræ proximus, cum epicyclus ejus currit per postremas partes geminorū, quemadmodum anno 1541. sub Imp. Friderico, proavo Caroli V. verisimile est, eum sua ad terras propinquitate effecisse immanissimum illud & inusitatum frigus, quod adeò fuit sævum & diuturnum, ut illa hyems ætate nostra hominum memoria facta sit celebris.

2. Saturnus dominus conjunctionis magnæ, vel dominus angulorum præcedentis vel sequentis ecliplin, generaliter damnum significat per frigus, glaciem & gelu: siq; fuerit in aliqua suarum dignitatum, fortior erit significatio. Ptol. 2. quadrip. c. 8.

3. Saturnus in ariete habens latitudinem meridionalem, significat frigoris vehementiam: in tauro similiter & cancro. Albumas.

4. Saturnus in libra & matutinus ventos frigidos significat & siccos: in scorpione vespertinus congelationem, matutinus septentrionalium & frigidorum ventorum autor est.

5. In capricorno, latitudinem habens septentrionalem frigus magnum significat & multum: Et Haly, Saturnus in capricorno vespertinus frigiditatē, matutinus frigidum boream: Item in aquario sub radiis hyemem facit duram: stationarius ibidem est glacialis, retrogradus nives & frigoris vehementiā, idemq; significat in piscibus.

6. Jupiter licet generaliter aëristemperiem & bonum statum denotet, tamen secundum Albumas. quandoq; significat

ficat frigus in quarta brumali, ut cùm est in ariete, siq; ibidem habuerit latitudinem meridionalem. Similiter in tauro, significat vehemens frigus. Sic & in geminis, & quarta brumali seu hyemali, cùm matutinus est & orientalis. In cancro significat caliditatem & frigiditatem. In leone & scorpione, quattuor hyemali frigus vehemens, idemq; decernit in quarta vernali, cùm est in piscibus.

7. Mars in scorpione significat frigoris abundantiam in quarta hyemali, autumnali & æstivali: sed in sagittario multiplicat frigus in quarta hyemali: matutinus quoq; in capricorno dies facit hyemales.

8. Sol naturalis & vivifici caloris est autor & fons, nec frige facit nisi per accidens, ut cùm hyeme à verticibus nostris est remotior, perq; humiliorem zodiaci partem incedens radios spargit obliquos, minusq; efficaces.

9. Venus significat frigus cùm fuerit in ariete, & habuerit latitudinem meridionalem: in virgine frigus & siccitatem: in libra bonam aeris dispositionem: in capricorno & sub radiis Solis est frigida.

10. Mercurius assumit naturam illius Planetæ vel stellarum fixarum, cum quibus jungitur, vel per aspectum applicat: in cancro tamen frigiditatis est autor secundum Albumas. Item in scorpione & piscibus, in quibus maximè ventosus est.

11. Luna humiditatem magis in aere excitat, quàm frigus: specialiter tamen in tauro significat frigoris vehementiam, præsertim si Saturno per aspectum fuerit sociata.

12. Albumas 6. de conjunctionibus magnis, differ. 2. ponit regulas de frigiditate, sumptas ex elevatione virtus Planetæ supra alium, has, quoniam pleræq; suffragantem habent experientiam, ordine & breviter subijciam.

13. Saturnus supra Martem in tauro significat vehemens

mens frigus: supra Venerem in virgine frigus corruptens, vehementis & durable: item supra Venerem in piscibus: supra Mercurium in leone: supra Mercurium in virgine: supra Mercurium in capricorno: & supra Mercurium in aquario.

14. Jupiter supra Martem in ariete, significat magnum frigus: sic & supra Martem in leone: supra Martem in sagittario: supra Mercurium in capricorno: supra Mercurium in aquario & piscibus.

15. Mars verò supra Saturnum in virgine, & capricorno: item supra Jovem in capricorno: supra Solem in libra: supra Mercurium in tauro & capricorno.

16. Sol supra Planetas alios, frigus non significat, secundum Albumasar.

17. Sed Venus supra Saturnum in piscibus: supra Mercurium in capricorno: & Mercurius supra Saturnum in tauro & virgine: item supra Jovem in capricorno & aquario: supra Martem in geminis, & supra Venerem in capricorno.

18. Luna denique supra Martem in tauro, frigiditatem multam denotat. Hactenus Albumasar.

19. Messahala in lib. suo de conj. magn. ait, conjunctionem magnam Saturni & Jovis in signo terreo, si Saturnus sit fortior Jove, significare corruptionem seminum & frugum per frigus.

20. Martis verò & Saturni conjunctio in signo terreo, nives, gelu, & frigus. Idem.

21. Eclipsis Lunæ in signo frigido, significat frigoris fortitudinem.

22. Gradus ascendens, sive locus conjunctionis alicujus magnæ, in signo arietis, significabit frigoris vehementiam, in hyeme cum nive multa: in tauro frigus vehemens in quarta vernali: in cancro in quarta hyemali, in virgine frigoris vehemen-

mentiam in quarta hyemali cum ventis septentrionalibus.

23. Saturnus dominus anni, absq; Martis, alteriusque Planetæ calidi aspectu, vehemens frigus denunciat in omnibus regionibus & civitatibus septentrionalibus, idq; eò fortius, si fuerit ascendens in medio circuli suæ augis: tunc enim corruptionem animantium & frugum significat. In regionibus autem immoderatè calidis, aër fiet temperatus, præcipuè verò cum Saturnus fuerit descendens in circulo suæ augis.

24. Saturnus in revolutione anni impeditus & infortunatus in signo aërio, frigoris vehementiam significat, nives & tenebricosum aërem: in signis quoque suæ naturæ convenientibus, & amicis boreales flatus exasperat, & frigus hyemale auget, æstivum verò calorem minuit.

25. Mars contra in signis sibi amicis, boreale frigus mitigat, æstivosq; calores accendit.

26. Saturnus dominus anni, in ariete retrogradus, & non in angulo, siq; aspexerit ascendens, & receperit dispositionem Lunæ & Martis, signum est magni frigoris & corruptentis animalia. Albumas.

27. In cancro & in angulo directus, Marte ab eo cadente, magni frigoris signum præbet.

28. Saturnus in revolutione anni habens dominium, ipseq; vel ejus radii in geminis, libra vel aquario, & Luna fuerit ab eo infortunata & afflicta, significat nivem, grandinem & frigus vehemens. Albumas. & Haly Abenragel lib. 3. c. 1.

29. Cum plures Planetæ conjuncti fuerint in revolutione anni in signis frigidis, significabunt frigus, sed æstate tempericam caloris. Messahala l. suo de conj. magn. c. 4.

30. Mars descendens in revolutione anni in triplicitatem igneam, auget calorem, & cum descenderit Saturnus in eam, calorem minuet: idem verò descendens in triplicitatem terræ,

terream, auget frigus: in eandem autem descendens Mars, frigus minuit. Et cum descenderit Mars in triplicitatem aëriam, auget calorem, quem Saturnus ibidem minuit.

31. Luna domina anni, & libera à radiis malorum, pluvias excitat & frigus.

32. Si Planeta, qui dominantur super loco conjunctionis vel oppositionis præcedentis introitum Solis in quartam aliquam anni, fuerint frigidi, & in signis frigidis, locaq; principalia, locus scilicet conjunctionis vel oppositionis, angulusq; sequens locum conjunctionis vel oppositionis, similiter fuerint signa frigida, dominatoresque cum Planetis vel stellis fixis frigidis, vel in locis coeli frigidis, prædic frigus magnum per illam anni quartam, præcipuè, cum & ipsa quarta frigida fuerit: Ptolom. 4. quadrip. c. 12. Debet autem hæc regula etiam intelligi in omni conjunctione, oppositione & quadratura luminarium per totum annum.

NB.

33. Conjunctiono Solis & Saturni facit frigus. Hermes. Et Saturnum esse frigide naturæ, antiqui Astrologi sic probarunt. Cum Solem viderent existentem in leone terras adürere, aliquando autem id non evenisse observatum sit, inquisiverunt, quænam sit hujus frigiditatis causa, reppererunt Saturnum cum Sole in leone junctum.

34. Planeta aliquis leviore combustus in quarta autumnali, simulq; directus, significat frigus & gelu: & cum comburitur in quarta hyemali, nebulas & ventos meridionales: cum verò in quarta vernali aërem caliginosum: in quarta denique æstiva, tonitrua & coruscationes. Atland. in epist. sua cap. 4.

35. Luna in declinatione meridionali applicans cum Planetis directis, est signum siccitatis, & si lumine fuerit diminuta, etiam summa frigiditatis.



36. Planetæ directi à principio cancri ad principium librae, significant summum algorem, quoniam calor Planetarum debilitatur: ibidem verò retrogradi, Sole progrediente per quartam hyemalem, id est, à capricorno ad arietem, frigus solvunt, excitantq; ventos boreales.

37. Venus in libra Solem antecedens pluribus quàm 30. grad. hyemis initium significat frigidum.

38. Si fuerit aspectus inter Planetas habentes domos oppositas, recesseritq; Luna ab inferiori, & applicuerit superiori, quæ applicatio & recessus dicitur portarum apertio, & in illa portarum apertione dominium accipiat Saturnus, significabit grandines, nubes & frigus.

39. Sed & quolibet die de frigore judicari potest: Luna enim obvians stellis fixis frigidis, vel iisdem juncta, aërem frigidat, ventosq; lentos excitat.

40. Partes coeli frigidae ex ratione & natura stellarum fixarum, sunt partes meridionales arietis, quæ sunt de natura Saturni, tauri partes mediae, cancri partes septentrionales, capricornus, aquarius & pisces.

41. Observa Lunam in principio signi, & quis Planetarum eam aspiciat, & secundum hoc judica. Alkind. Si enim Saturnus eam aspexerit, vel alia stella frigida, significata erit frigiditatem: siq; fuerit illo die apertio portarum, erit frigus.

42. Capricorni sidus plus habet frigoris quàm pluviarum, significat igitur frigus, cum aliquis locus principalis, vel stella aliqua frigida fuerit in eo.

43. Lincornens. in tract. suo de temperie aëris inquit, cum excellens frigus vis prædicere, unde fruges ac fructus corrumpuntur, vide testimonia Planetarum frigidorum concurrentia, vel, vide quando Planetæ concurrant, qui naturaliter sunt frigidi, ut anno 1255. Saturnus annis continuis quinque fuit

fuit in capricorno, unde hyemes disposuit illis annis ad ingens frigus, similiterq; æstates reddidit frigidas propter aspectum ejus oppositum ad Solem existentem æstate in cancro, & ita impedit fructuum maturitatem, fuitque autumnus exitialis & frigidus, subsecuta quoque est pestis propter quadratum ad Martem & Mercurium: Quoniam autem in parte fuit meridionali, & à zenith capitis nostri remotior, effectus etiam & operationes ejus magis in austrinam mundi partem & plagam se extendisse verisimile est.

44. Gradus puteales signorum sunt maximè frigidi, unde Saturnus in puteo facit gelu & frigus. Sunt autem gradus puteales in ariete 6.11.16.23.29. In tauro 5.12.24.25. In geminis 2.12.17.26.30. In cancro 12.17.23.26.30. In leone 6.13.15.22.23.28. In virgine 8.13.16.21.22. In libra 1.7.20.30. In scorpione 9.10.22.23.27. In sagittario 7.12.15.24.27. In capricorno 7.17.22.24.29. In aquario 11.12.17.22.24.29. In piscibus 4.9.24.27.28.

45. Sol in termino Martis frigus impedit, nisi sit in puteo.

46. Sol in exaltatione grandinem quidem permittit, sed nec frigus, nec nivem: nota autem, omnium Planetarum exaltationem esse frigidam.

47. Hyeme, omnis Planeta in aspectu ad Saturnum facit frigus, excepta Luna, quæ cum eo non diu commoratur, & Sole, cum est in termino Martis.

48. Et omnis aspectus Planetæ ad Planetam in puteo, facit frigus. Hactenus de frigore. Sequitur



## C A P. XIII.

*De Prognosticis pluviarum & imbrium.*

**C**Um nullum tempus anni immune sit ab imbris & pluviis, ordo nunc postulat, ut de his quoq; ex antiquissimis autoribus & Astrologis aliquid consignatione dignū, dicatur.

1. Sciendum pluviosos Planetas esse Venerem, Lunam & Mercurium: signa verò pluviosa sunt capricornus, aquarius, pisces, leo, cancer, vultur, gallina, &c.

2. Verum in rectè pronuntiando de futuris pluviis, ut & serenitate & siccitate aëris, 28. Lunæ mansiones, in quas totus zodiacus à vetustissimis hujus artis scriptoribus est divisus, quæque à stellis fixis nomina, naturas & proprietates acceperunt, diligenter sunt observandæ, id quod ex sequentibus fiet perspicuum.

Prima mansio Lunæ incipit in 19. arietis, natura ejus est sicca, infortunata, nomen quod accipit à stellis fixis est, cornua arietis.

Secunda mansio est venter & cauda arietis, temperata & fortunata, incipitq; in 2. tauri.

Tertia, Plejades, humidissima est & fortunata, incipit que in 15. tauri.

Quarta, oculus tauri, humida, tempestuosa, infortunat. incipit in 28. tauri.

Quinta, cornua tauri, calida & sicca, infortun. & incipit in 11. geminorum.

Sexta, pedes geminorum, temperata, fortun. initium ejus est in 24. geminor.

Septima, capita geminorum, humida, infortun. incipitq; in 7. cancri.

Octava,

**O**ctava, præsepe & aselli, temperata, fortunata. incipit in 19. cancri.

**N**ona, caput leonis, sicca, fortunata, incipitq; in 2. leonis.

**D**ecima, dicitur cor leonis, humida est & fortunata, incipitq; in 15. leonis.

**U**ndecima est leonis dorsum, tempestuosa & frigida, infortunata. incipitq; in 28. leonis.

**D**uodecima est cauda leonis, & caput virginis, sicca, fortunata, initium ejus est in 11. virginis.

**D**ecimatertia, cingulus virginis, temperata, fortunata, incipit in 24. virginis.

**D**ecimaquarta, est vindemiator, in 7. libræ, humida multum, fortunata.

**D**ecimaquinta, pedes virginis, sicca est & infortunata, initium ejus in 19. libræ.

**D**ecimasexta, lances libræ, in 2. scorpionis, frigida est & humida, infortunata.

**D**ecimasextima, frons scorpii, in 15. scorpionis, humidissima, infortunata.

**D**ecima octava, cor scorpii, in 28. scorpionis, sicca & fortunata.

**D**ecimanona, cauda scorpii, in 11. sagittarii, humida & infortunata.

**V**igesima, arcus & manus sagittarii, in 24. sagittarii, temperata ad caliditatem, fortunata.

**V**igesima prima, posterior pars sagittarii, in 7. capricorni, temperata & fortunata.

**V**igesima secunda, caput capricorni, in 19. capricorni, temperata, fortunata.

**V**igesima tertia, venter & cauda capricorni, in 2. aquarii, humida & fortunata.

Vige-

Vigesima quarta, corpus aquarii, in 19. aquarii, temperuosa ad frigiditatem, fortunata.

Vigesima quinta, aqua & amphora aquarii, in 28. aquarii, humida, infortunata.

Vigesima sexta, prior piscis, in 11. piscium, temperata, fortunata.

Vigesima septima, cauda piscis prioris, in 24. piscium, sicca, infortunata.

Vigesima octava, medietas ligamenti piscis in 7. arietis, sicca & infortunata.

Hæ sunt 28. mansiones Lunæ, ex quibus facile perspiciuntur, quam inter cœlestia sidera Luna mansionem occupet.

**NB.**

Ceterum, commodissime his 28. mansionibus Lunæ subijciuntur significationes Planetarum, cum aliquis eorum elevatur supra alterum: hæ enim ad Prognostica pluviarum, siccitatum, serenitatis, aliorumq; futurorum eventuum in mundo divinationem multum afferent lucis & emolumenti. Et primò quidem in hac doctrina Ptolom. jubet regulas quasdam observare 2. quadrip. c. 8. negotio huic plurimum inservientes. <sup>1.</sup> Videndum, quam similitudinem & convenientiam habeant Planetæ, qui futurum aliquod accidens significant cum regionibus & civitatibus, in quas ejusmodi effectus significati, incident: cum enim Planetæ dominatores convenientiam habuerint cum locis, in quibus futurum accidens continget, & non eleventur supra eos Planetæ contrarii, tunc fortior erit effectus Planetæ dominantis. <sup>2.</sup> Si stellæ vel Planetæ dominatores, fuerint mali, & cum locis, in quibus continget futurum accidens, habuerint convenientiam, non adeò nocebunt isti regioni, sed majus damnum afferent istis regionibus, cum quibus convenientiam habent nullam. <sup>3.</sup> Si Planetæ nõ fuerint istarum regionum gubernatores, nec supra eos alii Planetæ eleventur,

majus

maiores tunc damnarum regionibus istis continget. 4. Planetarum dominatores, nullam cum regionibus habentes convenientiam, stellarumque ipsi contrariae supra ipsos eleventur, effectus edunt in istis regionibus debiliores. Haec 4. regule in iudiciis hisce Astrologis sunt utilissimae.

*Quid significet vocabulum elevari in hac doctrina.*

1. Planeta, qui minus distat ab auge deferentis sui seu eccentrici, elevatur supra eum, qui magis distat ab auge seu apogæo suo, ut, si Jupiter est in cancro, ubi habet apogæum, vel etiam geminis aut leone: Saturnus verò in ariete, piscibus vel tauro, tunc Jupiter elevatus dicitur (vel potius & rectius exaltatus) supra Saturnum, qui versatur circa perigæum. 2. Planeta existens supra terram, elevatur supra eum, qui est infra terram. 3. Is, qui in medio caeli est, vel propè, dicitur elevatus supra eum, qui est in 11. & qui in 11. est supra eum, qui est in duodecima: medium enim caeli elevatur supra 11. undecima domus supra 12. & duodecima super ascendens. 4. Planeta in angulo elevatur supra eum, qui ab angulo recedit. 5. Si omnes sunt supra terram, tunc is, qui lineae meridianae est proximus, elevatur supra alios. 6. Si omnes sunt infra terram, tunc is, qui ascendenti propior fuerit, dicitur elevatus supra reliquos.

7. Consideranda etiam Planetarum elevatio est secundum, N. latitudinem zodiaci: in conjunctione enim, qui habuerit latitudinem septentrionalem, elevatur supra eum, qui habet latitudinem meridionalem. 8. Si ambo habuerint latitudinem septentrionalem, elevatus dicitur, qui maiorem tenuerit. 9. Si Planeta distat ab alio per 10. aut 11. signa, juxta successionem & ordinem, tunc is, qui est in 10. aut 11. signo ab altero, dicitur elevatus supra alterum, Haec sunt significationes vocabuli elevari in doctrina Astronomica. Nunc progrediamur ad significationes Planetarum, cum alter supra alterum elevatur: & primum de Saturno.

2

Signi-

*Significationes Saturni elevati supra reliquos Planetas ad in 12. Zodiaci signis, ex lib. 6. Albumasar. de conj. magn.*

Saturnus elevatus supra Jovem in ariete, significat siccitates multas, pluviarum paucitatem, annonam paucam, & messem copiosam.

Supra Martem, agridudines multas, ventos plurimos calidos, aërisq; turbationes.

Supra Solē, superfluas pluvias cum mediocribus ventis.

Supra Venerem, electionem Regis, bella, hominumq; interitum cum pluviis mediocribus.

Supra Mercurium, bellorum multitudinem, superfluas pluvias, ventosq; mediocres.

Supra Lunam, bella, pluviarum abundantiam, & commodum exiis.

Elevatus supra Jovem in tauro, aëris siccitatem, in pluribus climatibus, cum messis augmento.

Supra Martem, siccitatem nimiam cum interitu hominum, frigus ingens & durabile.

Supra Solem, bella inter Reges & Principes, annonæ paucitatem, humiditates paucas.

Supra Venerem, mulierum interitum, & pluviarum paucitatem.

Supra Mercurium, inundationes multas cum annonæ gravitate.

Supra Lunam, aquarum maris superfluitatem, & annonæ paucitatem.

*Saturnus elevatus supra Planetas in geminis.*

Supra Jovem, paucitatem pluviarum & aquarum cum multitudine bestiarum aquaticarum, ut ranarum, & similiarum.

Supra Martem, inimicos, multaq; in terris infortunia, foestas, flatus calidos, rerumq; paucitatem.

Supra

Supra Solem, caloris vehementiam.

Supra Venerem, mortem mulierum, & pluviarum paucitatem.

Supra Mercurium, ventos mediocres & prosperantes.

Supra Lunam, paucitatem pluviarum.

*Saturnus elevatus supra Planetas in cancro.*

Supra Jovem, aquarum paucitatem, bestias multas aquaticas, latrocinia.

Supra Martem, inimicitias inter homines, multas locustas, pluvias superfluas.

Supra Solem, aëris siccitatem cum morte in pluribus climatibus.

Supra Venerem, calorem multum, humiditatis paucitatem.

Supra Mercurium, in pluribus climatibus mortem ex magnis febribus, pluviarum paucitatem, & caloris mediocritatem.

Supra Lunam, mortem in pluribus climatibus ex magnis febribus, pluviarumq; & aquarum paucitatem.

*Saturnus elevatus supra Planetas in leone.*

Supra Jovem, interitum inter homines, pluviarum paucitatem, inq; pluribus terris messem corruptam & diminutam.

Supra Martem, ventos calidos, annonazq; & messis paucitatem.

Supra Solem, locustas multas similiaque insecta, superfluas pluvias & salubres.

Supra Venerem, humiditates & frigus.

Supra Mercurium, frigus vehemens cum interitu hominum.

Supra Lunam, locustarum multitudinem, pluvias salubres & multas.



*Saturnus elevatus supra Planetas in virgine.*

Supra Jovem, paucitatem pluviarum cum siccitate, sed abundantiam aquarum maris.

Supra Martem, destructionem magnæ partis terræ cum vehementi & durante frigore, arborumq; detrimento.

Supra Solem, aëris siccitatem.

Supra Venerem, pluvias salubres.

Supra Mercurium, pluvias superabundantes, inundationesq; cum frigore.

Supra Lunam, pluvias & humiditates multas.

*Saturnus elevatus supra Planetas in libra.*

Supra Jovem, multas ægritudines pectoris, multasque pluvias.

Supra Martem, odium inter Reges & Magnates, aërisq; temperiem cum frigore modico.

Supra Solem, siccitatem multam, famemq; in pluribus terris cum morte puerorum & infantum.

Supra Venerem, hominibus bona & prospera, locustas multas, pluvias modicas & temperatas.

Supra Mercurium, siccitatem multam, & famem in pluribus terris ac climatibus cum ventis superfluis ac vehementibus.

Supra Lunam, siccitatem & famem in multis locis cum humiditate & bonitate aëris.

*Saturnus elevatus supra Planetas in Scorpione.*

Supra Jovem, hominum interitum, serpentum, scorpionum & pluviarum paucitatem cum ventorum abundantia.

Supra Martem, turbas & seditiones in pluribus climatibus cum aëris siccitate.

Supra Solem, in pluribus climatibus mortem repentnam, cum calore vehementi.

Supra

Supra Venerem, morbos magnos & multos inter homines cum paucis humido.

Supra Mercurium, in pluribus climatibus mortem cum pluviarum paucitate, & multitudine aquarum maris.

Supra Lunam, paucitatem aquarum & pluviarum.

*Saturnus elevatus supra Planetas in sagittario.*

Supra Jovem, infortunia in pluribus climatibus, bella multa versus Orientem & Babyloniam, rumores terribiles, & Regis mortem.

Supra Martem, bella inter reges, in quibusdam climatibus mortem, ventosq; calidos.

Supra Solem, seditiones in pluribus climatibus, bestiarum mortem, ventus vehementes, messisq; paucitatem.

Supra Venerem, mortem mulierum Magnarum cum paucitate pluviarum, & bona spe messis.

Supra Mercurium, bestiarum mortem, seditiones multas, ventos multos, & messis exilitatem.

Supra Lunam, pecudum interitum, humiditatis abundantiam cum mediocritate messis.

*Saturnus elevatus supra Planetas in capricorno.*

Supra Jovem, paucitatem humiditatis & aquarum fluvialium, ovium interitum, & asinorum robur.

Supra Martem, frigoris vehementiam & durabilitatem, asinorumq; vigorem.

Supra Solem, aeris siccitatem.

Supra Venerem, asinorum languorem & defectum, humiditatis & aquae marinae paucitatem.

Supra Mercurium, pluvias multas, vermes multos, & frigus multum.

Supra Lunam, humiditatis & aquarum paucitatem.

*Saturnus elevatus supra Planetas in aquariis.*

Supra Jovem, angustias hominum, fluminumq; exca-  
stionem.

Supra Martem, vehementiam frigoris.

Supra Solem, mortem mulierum cum aëris siccitate.

Supra Venerem, paucitatem humiditatis, mortisque ti-  
morem inter Reges.

Supra Mercurium, interitum in hominibus ex pectore &  
bubonibus, pluvias multas cum frigore & tonitrua.

Supra Lunam, oppressionem populi versus meridiem,  
cum paucitate aquarum & pluviarum.

*Saturnus elevatus supra Planetas in piscibus.*

Supra Jovem, mortem in climatibus pluribus, piscium  
paucitatem, parvarum avium multitudinem, locustarum ab-  
undantiam cum aquarum, nivium & pluviarum excessu.

Supra Martem, pisces multos, aves parvas cum calore aë-  
ris & pluviis multis, tonitruisq;.

Supra Solem, aëris siccitatem multam.

Supra Venerem, imprægnatarum mortem cum super-  
fluis pluviis frigidis & tonitruis.

Supra Mercurium, multitudinem avium & piscium cum  
inundatione fluminum multa, & horizonti tenebricoærate.

Supra Lunam, paucitatem aquarum & humiditatis.

*De Jove elevato supra Planetas reliquos, in 12 Zodiaci*

*signis.*

Jupiter elevatus supra Saturnum in ariete, significat Re-  
gis exactionem super populo, rumores terribiles de inimicis  
nocere non valentibus, aëris salubritatem, ventos temperatos,  
messisq; bonitatem.

Supra Martem, infirmitates multas, & dolores cum ma-  
gno frigore.

Supra

Supra Solem, pluviarum prosperitatem.

Supra Venerem, multa infortunia, infirmitates & mortes cum terræ motu in multis terris.

Supra Mercurium, pluvias multas, militum mortem, ventos turbulentos cum tonitruis, conflagrationibus & terræ motu.

Supra Lunam, anni fertilitatem cum pluviis multis.

*Iupiter elevatus supra Planetas in tauro.*

Supra Saturnum, multas cædes, mortem Magnatum, multorum climatum destructionem, pluviarum paucitatem cum copiosa messe.

Supra Martem, plurimum regionum oppressionem, & multam nivem.

Supra Solem, siccitatem aëris cum multis ventis calidis.

Supra Venerem, damnum in regionibus meridionalibus, cum humiditate multa.

Supra Mercurium, salutem hominum, frugum bonum proventum cum pluviis multis salutaribus.

Supra Lunam, fertilitatem multam, hominum salutem, pluviarum mediocritatem.

*Iupiter elevatus supra Planetas in geminis.*

Supra Saturnum, multorum Magnatum destructionem, damnumq; in pluribus terris, multasq; humiditates.

Supra Martem, graminis in hortis & pratis destructionem, paucasq; humiditates.

Supra Solem, aëris siccitatem.

Supra Venerem, mortem mulierum impregnatarum, pluviarum paucitatem, multasq; messes.

Supra Mercurium, calidos ventos.

Supra Lunam, aquarum & pluviarum superfluitatem.

*Iupiter*

*Jupiter elevatus supra Planetas in cancro.*

Supra Saturnum, siccitatem multam versus meridiem, messium prosperitatem, fructuumq; in quibusdam terris felicem proventum cum ventorum humidorum flatu.

Supra Martem, mortes inimicorum Regis aut Principis, multos latrones, pluviarum superfluitates.

Supra Solem, interitum hominum, & plurima prodigiosa in terris.

Supra Venerem, humiditatis abundantiam cum multa messe.

Supra Mercurium, mendacia, servorumq; & subditorum adversus Reges aut Magnates rebellionem, diluvia, destructiones quorundam climatum, pluvias multas cum tonitruis.

Supra Lunam, paucitatem aquarum & pluviarum.

*Jupiter elevatus in leone.*

Supra Saturnum, mortem Magnatum & multorum hominum, odium inter ipsos, aeris & ventorum bonitatem cum messium prosperitate.

Supra Martem, inimicorum Regis aut Principis mortem cum frigoris vehementia.

Supra Solem, pluviarum salubritatem.

Supra Mercurium, ventos & pluvias multas, tonitrua, coruscationes, terræ motus.

Supra Venerem, plurium civitatum & regionum prosperitatem, & terræ motus.

Supra Lunam, aeris prosperitatem.

*Jupiter elevatus in virgine.*

Supra Saturnum, multa turbas, infirmitates & mortes inter homines, paucas humiditates, ventos paucos, feminumque fertilitatem.

Supra

Supra Martem, damnum mercatorū, rerum bonitatem, ventos multos.

Supra Solem, siccum aerem, pluviasq; paucas.

Supra Venerem, pluvias paucas, damnumque ex lupis & feris.

Supra Mercurium, ventos turbulentos, pluvias multas.

Supra Lunam, pluviarum abundantiam.

*Iupiter elevatus in libra.*

Supra Saturnum, bella, multas cædes cum regionū quandam destructione, siccitatem, & bonum statum messis.

Supra Martem, latrocinia, multasq; nubes.

Supra Solem, siccitatem aeris nimiam.

Supra Venerem, multas turbas, terræ motus, messemq; proficuum.

Supra Mercurium, in pluribus terris salutē, boniq; consecutionem, ventos turbidos.

Supra Lunam, siccitatem, & humiditates paucas.

*Iupiter elevatus in scorpione.*

Supra Saturnum, odium, inimicitias in multis regionibus, combustiones & incendia cum pluviis superfluis.

Supra Martem, filiorum Magnatum & Regum mortem, fertilitatem cum pluviarum paucitate.

Supra Solem, aeris siccitatem.

Supra Venerem, multas turbas & interfectiones hominum.

Supra Mercurium, multa bella, tristitiam, ærumnas, pluviasq; abundantes.

Supra Lunam, æstivum & pluviarum paucitatem.

*Iupiter elevatus in signis*

Supra Saturnum, multa bella, inimicitias, odia inter homines, pluvias multas & salubres.

R

Supra

Supra Martem, mortem nobilium, incendia & immodicum frigus.

Supra Solem, pluviarum abundantiam & commodum.

Supra Venerem, pręlia multa & interfectiones, terrę motus, & messis prosperitatem.

Supra Mercurium, pluviarum & ventorum superfluitatem, tonitrua & coruscationes.

Supra Lunam, humiditatem temperatam.

*Iupiter elevatus in capricorno.*

Supra Saturnum, damnum per feras & lupos, humiditatem paucam, mellisq; augmentum.

Supra Martem, ferarum interitum, ut & vermiũ aviumq; aquaticarum, nebulas multas, pluviasq;.

Supra Solem, aeris temperiem.

Supra Venerem, prosperum annum, mortem ovium, bo-  
um & piscium, aviumque parvarum, terrę motus, paucasque  
pluvias. Supra Mercurium, vehemens frigus, pluviam super-  
flua, augmentum messis. Supra Lunam, humiditatis & plu-  
viarum abundantiam.

*Iupiter elevatus in aquario.*

Supra Saturnum, fertilitatem multarum regionum, ni-  
ves aquasq; multas & inundationes. Supra Martem, bellum,  
& gaudium ex eo, pluviarumq; paucitatem. Supra Solem, ae-  
ris siccitatem, piscium aviumq; multitudinem. Supra Vene-  
rem, aerem tenebricosum, aquas multas, & in pluribus regio-  
nibus gaudium. Supra Mercurium, victoriam Magnatum su-  
per inimicos, multos terrę motus, nubes, pluvias, frigus.

*Iupiter elevatus in piscibus.*

Supra Saturnum, siccitates, pisciumq; & avium cum su-  
perfluis pluviis, abundantiam. Supra Martem, miracula mul-  
ta, pa-

et pavores in hominibus, sed cum salute, aërisq; siccitatem & caliditatem. Supra Solem, aëris siccitatem. Supra Venerem, populi salutem, imprægnatarum obitum, avium pisciumque copiam, pluviam superfluam. Supra Mercurium, piscium, aviumque multitudinem, frigus excellens cum pluvia multa. Supra Lunam, pluviarum paucitatem.

*De Marte elevato supra Planetas reliquos in 12.  
Zodiaci signis.*

Supra Saturnum in ariete, ventos & pluvias multas significat; bonumq; ætatis statum. Supra Jovem, mortem hominum, pluviam paucam. Supra Solem, seditiones, injurias, mendacia, vindictæ cupiditates, bonam complexionem quartæ æstivalis, multas coruscationes & ventos. Supra Venerem, turbas, incendia, mortes, multa horrenda, prosperitatem mulierum imprægnatarum cum peste ex aëris siccitate. Supra Mercurium, bella multa cum pluviarum paucitate, vehementem calorem, & aquæ fontanæ defectum. Supra Lunam, captivitates & turbas multas, quadrupedum inopiam, & paucam humiditatem.

*Mars elevatus in tauro.*

Supra Saturnum, siccitatem, terræ motus, & combustionem in hominibus. Supra Jovem, civitatum destructionem, Magnatum mortem, pluvias multas cum tonitrui & coruscationibus. Supra Solem, calorem multum, aërisq; siccitatem. Supra Venerem, ægritudines, & mulierum mortem, caloremq; magnum in quarta æstivali. Supra Mercurium, destructionem in pluribus climatibus, pluvias & nubes multas, frigus vehemens in quarta autumnali & hyemali. Supra Lunam, turbas multas in pluribus regionibus, regnorum mutationem renovationemq;



*Mars elevatus in geminis.*

Supra Saturnum, turbas multas, ægritudines multas, & mortem per eas, pluvias, tonitrua, coruscationes. Supra Jovem, celerem inter homines interitum & mortem. Supra Solem, aeris siccitatem & calorem. Supra Venerem, rixas inter conjuges, mortem imprægnatarum, rerum humiditatisque paucitatem. Supra Mercurium, mortem filiorum Regis aut Principis, bella, interfectiones, pavores, destructionem ecclesiarum & censuum, pluviam paucam. Supra Lunam, mortem Regum, turbas; captivitates in pluribus regionibus, annonæ caritatem omnium rerum, humiditatem aeris paucam & siccitatem.

*Mars elevatus in cancro.*

Supra Saturnum, inimicitias multas inter gentes, multas locustas similiaque insecta, pluviarum mediocritatem. Supra Jovem, turbas, deprædationes, incendia in multis terris cum multis pluviis. Supra Solem, vehementiam caloris & siccitatis. Supra Venerem, mortem mulierum imprægnatarum, humiditatem paucam, calorem magnum. Supra Mercurium, interfectionem filiorum Regis aut Principis, bella & destructionem regnorum, calorem vehementem & durantem. Supra Lunam, mortem Regum & Magnatum, captivitates, turbas in pluribus terris, ovium inopiam, & aeris siccitatem.

*Mars elevatus in leone.*

Supra Saturnum, siccitatem magnam, & ventos validos. Supra Jovem, pluviam paucam, detrimentum aquarum putealium, & aliarum. Supra Solem, coruscationes multas. Supra Venerem, incendia, infortunia, calamitates, stercora, ruinae terribiles in multis locis, pluviarum paucitatem. Supra Mercurium, combustiones multas, pluviam paucam, & mortem vehementem.

vehementem. Supra Lunam, turbas, interfectiones in multis regionibus, boum & camelorum summam caritatem, aëris siccitatem.

*Mars elevatus in virgine.*

Supra Saturnum, calorem & frigus magnum sed certis temporibus, fructuumq; sat prosperum proventum: Supra Jovem, superfluas pluvias, coruscationem cum tonitruo & combustione, aquarumq; incremento. Supra Solem, aëris siccitatem, & humiditatem paucam. Supra Venerem, mortem Magnatum, altercationes multas liberorum causa, caloremq; vehementem. Supra Mercurium, sanguinis effusionem, destructionem multarum terrarum, Magnatum interfectionem, latrocinia, fraudes servorum erga dominos, & annonæ multum. Supra Lunam, pluviam immodicam cum multis humiditatibus.

*Mars elevatus in libra.*

Supra Saturnum, pugnam inter Reges & Magnates, mortem magnarum mulierum, herbarum multitudinem, pluvias paucas. Supra Jovem, rumores & odia inter mortales, tonitrua, coruscationes & pluvias multas. Supra Solem, aëris temperiem vergentem ad calorem & siccitatem, frigus multum, ventosq; validos averruncantes arbores. Supra Venerem, damna & combustiones cum pauca pluvia. Supra Mercurium, mortem filiorum magnatum, bella, occisiones, paucitatem pecorum, ecclesiarum destructionem, nebulas, pluvias paucas, tonitrua. Supra Lunam, paucitatem animalium majorum subjugalium, inimicorum multitudinem.

*Mars elevatus in scorpione.*

Supra Saturnum, turbas, devastaciones in pluribus locis, noxias locustas & insecta, pluvias, tonitrua & coruscaciones.

Supra Jovem, mortem in multis regionibus cum pauca pluvia, fluminumq; & piscium detrimentum. Supra Solem, aëris siccitatem & caliditatem. Supra Venerem, mortem magnarum mulierum, paucamq; humiditatem. Supra Mercurium, mortem hominum & boum, ventosq; turbulentantes. Supra Lunam, captivitates & seditiones in multis locis, bestiarum rapacitatem, tonitrua, coruscationes.

*Mars elevatus in sagittario.*

Supra Saturnum, egritudines multas in multis locis, ventos validos, annonæ vilitatem. Supra Jovem, mortem divitum cum pauca pluvia. Supra Solem, coruscationes multas. Supra Venerem, pluviarum abundantiam. Supra Mercurium, cædes, rapinas, sanguinis effusiones, cum nubibus & pluviis multis. Supra Lunam, pluviarum paucitatem.

*Mars elevatus in capricorno.*

Supra Saturnum, multitudinem asinorū & ovium cum vehementia caloris & frigoris tempore conveniente. Supra Jovem, captivitates multas in pluribus locis, mortem ovium, pluvias paucas, vehemens frigus cum aquarum defectu. Supra Solem, aëris siccitatem. Supra Venerem, abortū prægnantium, ovium mortem cum caloris vehementia tempore convenienti. Supra Mercurium, infirmitates humanas, mortes, turbas, captivitates, asinorum penuriam, mortem ovium, avium paucitatem, multasq; nives in fine quartæ vernalis, & in principio florum corruptionem. Supra Lunam, discordias nobilium, seditiones, captivitates, mortis pericula, boum & asinorum penuriam, pluviarumq; paucitatem.

*Mars elevatus in aquaria.*

Supra Saturnum, pluvias multas. Supra Jovem, equarum mediocritatem, plantarum incrementum. Supra Solem, calorem

rem vehementem, Supra Venerem, pugnas, angustias, siccitatem & annonæ caritatem cum pluviarum paucitate. Supra Mercurium, turbas, captivitates, interneciones in pluribus regionibus, humiditatis & aquarum paucitatem, annonæq; caritatem. Supra Lunam, pluviarum raritatem.

*Mars elevatus in piscibus.*

Supra Saturnum, infortunia in multis locis, piscium & avium multitudinem, pluviarum abundantiam cum tonitruis & coruscationibus. Supra Jovem, gaudium in multis regionibus, regum discordias & interfectiones inter se, dominium mulierum, pluviarum abundantiam cum coruscationibus. Supra Solem, aëris siccitatem. Supra Venerem, prosperitatem multarum regionum, piscium, aviumq; abundantiam. Supra Mercurium, degradationem Regum & Magnatum, bella multa damnosa, fertilitatem in parte occidentis, & annonæ caritatem ex superfluis pluviis, Supra Lunam, hominum interitum, maximè magnatum & nobilium, pluviarumq; raritatem.

*De Sole elevato supra reliquos Planetas in 12.*

*zodiaci signis.*

Supra Saturnum in ariete, multas pluvias, messesq; multas prosperas. Supra Jovem, pluviarum paucitatem. Supra Martem, bella, vindictæ cupiditatem, calorem magnum in quarta æstivali, ventos validos, coruscationes multas. Supra Venerem, aëris siccitatem. Supra Mercurium, pluvias multas, ventosq; turbulentos. Supra Lunam, coruscationes, tonitrua & fulmina.

*Sole elevatus in tauro.*

Supra Saturnum, famem magnam inter homines, fructificationis augmentum cum aëris humiditate. Supra Jovem, aëris humiditatem. Supra Martem, aëris humiditatem. Supra

pra Venerem, aeris siccitatem. Supra Mercurium, bellum inter cives, ventos multos, paucas pluvias, herbarum damnum, fluminum inundationem. Supra Lunam, paucas humiditates.

*Sol elevatus in geminis.*

Supra Saturnum, aeris bonitatem, & pluviarum temperiem. Supra Jovem, aeris humiditatem. Supra Martem, cædes multas inter homines, querelas & vindictas. Supra Venerem, humiditatem paucam. Supra Mercurium, ventos multos calidos & venenatos. Supra Lunam, aquarum paucitatem.

*Sol elevatus in cancro.*

Supra Saturnum, aquarum defectum, & pluviarum mediocritatem. Supra Jovem, humiditatem aeris roridam. Supra Martem, pluvias multas. Supra Venerem, aeris siccitatem. Supra Mercurium, hominum interitum cum superfluis pluviiis & aquarum corruptione. Supra Lunam, humiditatem raram.

*Sol elevatus in leone.*

Supra Saturnum, pluviarum & humiditatis abundantiam cum insectorum incremento. Supra Jovem, pluviam paucam in multis terris. Supra Martem, pluvias paucas. Supra Venerem, pluvias multas. Supra Mercurium, calorem vehementem & durabilem, mortemq; inter homines acutam. Supra Lunam, humoris defectum.

*Sol elevatus in virgine.*

Supra Saturnum, pluviarum mediocritatem. Supra Jovem, aeris humiditatem. Supra Martem, humiditates multas. Supra Venerem, pluviarum abundantiam. Supra Mercurium, scientiam, sapientiam cum humiditatis mediocritate. Supra Lunam, humiditatem paucam.

*Sol*

*Solelevatus in libra.*

Supra Saturnum, pugnam inter Reges & Magnates, mortem mulierum, inimicitias multas, herbarum abundantiam, cum pluviarum incremento. Supra Jovem, pluvias temperatas. Supra Martem, injurias & calumnias, turbas, vindictam, aërem humidum, & convenienti tempore calorem vehementem. Supra Venerem, nebulas multas cum pluviis multis. Supra Mercurium, consiliatorum & ingeniosorum hominum, scribarumq; ac villicorum damnum. Supra Lunam, vanos per nuncios rumores, & terribiles, aërisq; temperiem & bonum statum.

*Solelevatus in scorpione.*

Supra Saturnū, bella inter Reges, & inter homines mortes per bubones pestilentes cum abundante humiditate horizontali. Supra Jovem, aëris humiditatem. Supra Martem, aëris humiditatem in horizonte. Supra Venerem, pluvias paucas. Supra Mercurium, humiditatem abundantem. Supra Lunam, aquarum & pluviarum paucitatem. NB.

*Solelevatus in sagittario.*

Supra Saturnum, bella inter magnates, & pluviarum abundantiam. Supra Jovem, aëris siccitatem, mortemq; in pluribus regionibus. Supra Martem, malum statum nobilium cum pluviarum abundantia. Supra Venerem, aëris siccitatem. Supra Mercurium, mortem magnatum, devastationem civitatum maritimarū, pluvias multas, ventosq; multos. Supra Lunam, humiditatis paucitatem.

*Solelevatus in capricorno.*

Supra Saturnum, infirmitates multas, hominum interitum, pluvias multas. Supra Jovem, horizontalem humiditatem. Supra Martem, significabit idem. Supra Venerem, aeris

S

fizzi-

siccitates. Supra Mercurium, pluvias mediocres. Supra Lunam, humiditatis paucitatem.

*Solelevatus in aquario.*

Supra Saturnum, horizontis humiditates. Supra Jovem, aeris humiditates. Supra Martem, significabit idem. Supra Venerem, aeris siccitatem. Supra Mercurium, pluvias & fluminum inundationes, redituumq; prosperitatem. Supra Lunam, tonitrua, coruscationes, fulmina.

*Solelevatus in piscibus.*

Supra Saturnum, aeris humiditates. Supra Jovem, significabit idem. Supra Martem, superfluas pluvias cum tonitruis & coruscationibus. Supra Venerem, aeris siccitates. Supra Mercurium, volatilium & piscium copiam, fluminum inundationes, pluviasq; mediocres. Supra Lunam, humiditatis abundantiam cum tonitruis & coruscationibus.

*De Venere, elevata supra reliquos Planetas in 12.*

*Zodiaci signis.*

Supra Saturnum in ariete, significat ventos septentrionales vehementes, & aquas multas. Supra Jovem, lites & pugnam inter viros & foeminas; pluvias multas, inundationes fluviorum magnorum. Supra Martem, febres in multis regionibus, rixas multas, incendia & combustiones in multis locis cum pluvias & tonitruis multis. Supra Solem, tonitrua, coruscationes, pluvias multas. Supra Mercurium, nubes & ventos mediocres. Supra Lunam, humiditates & pluvias multas.

*Venus elevata in tauro.*

Supra Saturnum, infortunia, siccitates & annonae caritatem in multis locis, pluvias multas, & annonae paucitatem. Supra Jovem, turbas multas, & infirmitates in variis regionibus, mulierumq; dominium. Supra Martem, dominium virorum, mulie-

mulierumq; impotentiam, pugnam in multis terris, exercitus ferociam, pluviasq; multas. Supra Solem, mortem mulierum magnarum, pluviarum & ventorum temperiem. Supra Mercurium, mala multa inter mortales, paucitatem pluviarum, tonitruorum, coruscationum, & annonæ. Supra Lunam, humiditates paucas, rerumq; inopiam.

*Venus elevata in geminis.*

Supra Saturnum, nihil significat. Supra Jovem, mediocrem statum imprægnatarum, aerem tenebricosum cum pluviarum multitudine: Supra Martem, odia & lites, mulierum mortem, pluvias multas. Supra Solem, aeris humiditatem. Supra Mercurium, gaudium & salutem in terris multis, pluvias paucas, tonitrua multa, & coruscationes. Supra Lunam, humiditatem paucam.

*Venus elevata in cancro.*

Supra Saturnum prosperitatem pluviarum, segetumque destructionem per insecta. Supra Jovem, mortem Magnatum & Regum, pluviam abundantem, diminutionem aquæ maris: Supra Martem, mortem & cædes filiorum magnatum, interitumq; Regis magni, devastationem plurimum regionum, incendia & inundationū superfluitatem. Supra Solem, pluvias multas. Supra Mercurium, pluvias nubesq; multas, calorem magnum tempore convenienti, coruscationes & tonitrua. Supra Lunam, multas pluvias & humiditates.

*Venus elevata in leone.*

Supra Saturnum, nihil. Supra Jovem, mortem Regum, & quorundam magnatum, fervorem inter inimicos adversus Regem, pugnam, & civium interuersionem. Supra Martem, iniurias & odia maxima inter mortales, pluvias multas, tonitrua, & coruscationes. Supra Solem, ventos calidos, aerisq;



bonitatem. Supra Mercurium, morbos multos militum & nobilium, calorem vehementem, pluvias paucas cum tonitruis & coruscationibus. Supra Lunam, pluviarum paucitatem.

*Venus elevata in virgine.*

Supra Saturnum, mortem hominum inopinatam. Supra Jovem, in pluribus regionibus mortem, pluvias multas, paucitatem aquarum maris. Supra Martem, pugnam Regum, mulierum interneccionem, seditiones & damna in pluribus regionibus, pluviam abundantem cum vehemente calore. Supra Solem, pluviam superfluam. Supra Mercurium, pluvias multas, tonitrua & coruscationes, fluminum augmentum, scientiam & sapientiam multam inter homines. Supra Lunam, pluviatum & humiditatum abundantiam.

*Venus elevata in libra.*

Supra Saturnum, bellum inter Reges, herbarum & pluviarum abundantiam cum ventis mediocribus. Supra Jovem, in negotiationibus prosperitatem, febres multas, morbos melancholicos, annonæ caritatem, destructionem messis cum multis pluviis. Supra Martem, mortem magnarum mulierum, turbas multas cum superflua humiditate. Supra Solem, pluviarum superabundantiam. Supra Mercurium, bella & depredationes, pluvias multas, singulumq; inundationes. Supra Lunam, actis temperiem, pluvias paucas.

*Venus elevata in scorpione.*

Supra Saturnum, mortem mulierum magnarum, paucitatem pluviarum, & bonitatem messis. Supra Jovem, Regum & Magnatum quorundam angustias, mortem in pluribus locis, pluviam abundantem. Supra Martem, pluvias superfluas, mortemq; filiorum regis. Supra Solem, pluvias abundantes. Supra Mercurium, multas pugnas, pecorum in quibusdam terris ab-

actio-

actores, tonitrua, coruscationes & superabundantes pluvias. Supra Lunam, pluvias & humiditates.

*Venus elevata in sagittario.*

Supra Saturnum, reptilium mortem, muscarumq; cum pluviis multis proventum. Supra Jovem, mendacia varia, pugnas & rumores terribiles cum juvenum morte, aquarumque superfluitate. Supra Martem, superfluas aquas, pluvias & rores. Supra Solem, multas humiditates. Supra Mercurium, bella multa cum melancholia in hominibus abundante, & tonitruis. Supra Lunam, humiditatem excedentem.

*Venus elevata in capricorno.*

Supra Saturnum nihil. Supra Jovem, pestilentiam, mortem ovium, pluviam paucam cum annonæ paucitate. Supra Martem, combustiones multas, ac rebelliones cum superflua pluvia. Supra Solem, frigus vehemens cum multa humiditate. Supra Mercurium, inter Reges victoriam, latrones & pavores in pluribus terris, caritatem asinorum, frigus vehemens, pluviam paucam, pestem, tonitrua. Supra Lunam, humiditatis defectum.

*Venus elevata in aquario.*

Supra Saturnum, morbos pectoris, in primis tusses cum multa aqua. Supra Jovem, siccitatem in pluribus locis, annonæ paucitatem, & filiorum Regum interfectiones. Supra Martem, combustiones multas in multis locis, pluviasq; multas. Supra Solem, humiditates. Supra Mercurium, turbas, pluvias mediocres cum tonitruis & coruscationibus. Supra Lunam, humiditates multas.

*Venus elevata in piscibus.*

Supra Saturnum, frigus vehemens, pluvias superfluas, coruscationes & tonitrua. Supra Jovem, mulierum mortem, turbas,

turbas, volatiliū damnum, humiditates & messes multas. Supra Martem, hominū interitum cum pluviarum abundantia. Supra Solem, humiditates. Supra Mercurium, prosperitatem inter homines & iudices políticos. Supra Lunam, aeris tranquillitatem, piscium aviumq; multitudinem cum multis pluviis, tonitruis, coruscationibus.

*De Luna, elevata supra Planetas reliquos in 12.*

*signis.*

Supra Saturnum in ariete, pluviā paucā, mortemq; in quibusdam regionibus. Supra Jovem, ventos fecundos, temperatā pluviā, & morbos hominū. Supra Martem, humiditates multas. Supra Solem, pluviās, tonitrua, coruscationes. Supra Venerem, ventos meridionales vehementes, humiditates multas, præcipuè in quarta æstivali. Supra Mercurium, pluviās multas, ventos turbulentos.

*Luna elevata in tauro.*

Supra Saturnum, abortuū prægnantium, paucitatem messis, pluviās multas. Supra Jovem, pugnam, siccitatem, pestem in multis terris, aquasq; multas. Supra Martem, humiditates & frigus. Supra Solem, pluviās paucas. Supra Venerem, seditiones, mortes magnarum, latrones multos, abortus prægnantium, mortem boū, tonitrua, coruscationes, messium paucitatem & seminum. Supra Mercurium, pluviās multas, & ventos turbulentos.

*Luna elevata in gemini.*

Supra Saturnum, militum copiam, & pluviās superfluas. Supra Jovem, humiditates multas. Supra Martem, pluviās superfluas. Supra Solem, humiditatem deficientem. Supra Venerem, mediocriū ventorum flatus. Supra Mercurium, ventorum flatus, pluviāsq; moderatas.

*Luna*

*Luna elevata in cancro.*

Supra Saturnum, abortus prænantium, paucitatem messis, pluviam superfluam. Supra Jovem, rores multos. Supra Martem, pluvias multas. Supra Solem, humiditatis defectum. Supra Venerem, humiditatis excessum. Supra Mercurium, ventos turbantes, fluminumq; siccitatem mediocrem.

*Luna elevata in leone.*

Supra Saturnum, abortus prænantium, pluvias multas & ventos. Supra Jovem, multos rores. Supra Martem, aëris alterationes diversas. Supra Solem, humiditates superfluas. Supra Venerem, pluvias & humiditates. Supra Mercurium, hominum mortes & interitum, humiditates paucas, vehementem calorem, ventosq; turbulentantes.

*Luna elevata in virgine.*

Supra Saturnum, pluviarum & humiditatis excessum. Supra Jovem, turbas, interneciones inter magnates in multis terris, pluviarum & aquarum abundantiam. Supra Martem, humiditatem multam. Supra Solem, humiditates & aquas multas. Supra Venerem, pugnam inter cives, latrones, abortus prænantium, caritatem a finorum, mortem boum, paucitatem messis & seminum, aquas multas. Supra Mercurium, pluvias mediocres.

*Luna elevata in libra.*

Supra Saturnum, imprægnatarum mortem, messes multas, humiditatum excessum. Supra Jovem, humiditatem excedentem. Supra Martem, aquas & humiditates multas. Supra Solem, pluvias superfluas, aquarum paucitatem. Supra Venerem, pluvias prosperantes, humiditatisq; excessum. Supra Mercurium, humiditates & inundationes multas.

*Luna*

*Luna elevata in scorpione.*

Supra Saturnum, bella inter Reges, mortem plurimarum bestiarum cum multis humiditatibus. Supra Jovem, pluvias superfluas. Supra Martem, tonitrua, coruscationes, fulmina. Supra Solem, pluvias superfluas, aquarum paucitatem. Supra Venerem, pluvias & humiditates multas. Supra Mercurium, inundationes multas & pluvias, stellarumq; ignitarum apparitionem.

*Luna elevata in sagittario.*

Supra Saturnum, pugnam inter Reges, pluvias multas. Supra Jovem, humiditates multas & aquas. Supra Martem, populorum Orientis potentiam super populos Occidentis, quos occidit, aquas multas. Supra Solem, aquas superfluas. Supra Venerem, pluvias & humiditates. Supra Mercurium, mortem quorundam Regum & Magnatum, nec non quarundam civitatum ad mare devastationem.

*Luna elevata in capricorno.*

Supra Saturnum, aquarum & humiditatum abundantiam. Supra Jovem, aquas multas. Supra Martem, inundationes multas. Supra Solem, superfluam humiditatem. Supra Venerem, bella, latrocinia, abortus pregnantium, mortem boum, siccitatem, paucitatem feminum & messium. Supra Mercurium, pluvias paucas, & horizontis siccitatem.

*Luna elevata in aquario.*

Supra Saturnum, aquas multas & congelationes. Supra Jovem, humiditatis excessum. Supra Martem, idem significat. Supra Solem, coruscationes & tonitrua. Supra Venerem, coruscationes cum pluviis superfluis. Supra Mercurium, pugnam quarundam civitatum & civium, ventos turbulentos.

*Luna*

*Luna elevata in piscibus.*

Supra Saturnum, abortum prægnantium, messis paucitatem, pluviam superfluam. Supra Jovem, aquas & pluvias multas. Supra Martem, ferè idem. Supra Solem, coruscationes & humiditatis excessum. Supra Venerem, pluvias multas. Supra Mercurium, volatilium & aquatilium multitudinem, inundationes & pluvias multas.

*De Mercurio, elevato supra Planetas reliquos in 12. Zodiaci signis.*

Supra Saturnum in ariete, significat illud idem, quod supra Saturnum Venus. Supra Jovem, aquarum & pluviarum, temperantiam cum ventis vehementioribus. Supra Martem, devastationem magnæ partis versus occidentem, febres, tussis, pluvias mediocres, paucitatem messis, ac calorem vehementem. Supra Solem, aquas temperatas. Supra Venerem, proficua messes, multas nubes ac pluvias. Supra Lunam, pluvias multas, & ventos cum multis etiam aquis.

*Mercurius elevatus in tauro.*

Supra Saturnum, oppressiones cum frigore vehementi. Supra Jovem, multas turbas cum multis humiditatibus & flatu ventorum. Supra Martem, timorem vehementem in regionibus multis, pugnas, destructiones, hominum interitum. Supra Solem, mortem mulierum, pluvias & ventos temperatos. Supra Venerem, bellum, humiditatis excessum, ventos validos. Supra Lunam, seditiones in multis terris cum pluvius & inundationibus.

*Mercurius elevatus in geminis.*

Supra Saturnum nihil. Supra Jovem, dissidium inter  
T Reges,

Reges, hominumque interfectiones. Supra Martem, bellum, damna, mortem multarum ovium, pluviam paucam, frigus vehemens. Supra Solem, siccitatem magnam in pluribus climatibus, avium & piscium paucitatem, pluviarum defectum. Supra Venerem, turbas, odia in pluribus terris, mortem praegnantium, aquarum abundantiam. Supra Lunam, bellum actumultus in pluribus terris cum multis pluvias & inundationibus.

*Mercurius elevatus in cancro.*

Supra Saturnum, pluviam paucam. Supra Jovem, miracula in pluribus climatibus, pluvias multas. Supra Martem, mortem hominum cum vehementi terrae motu & calore. Supra Solem, calorem intensum. Supra Venerem, mortem impraegnantiarum nimiam, pestem inter homines, bella, destructiones legum & ecclesiarum cum multis nebulis & humiditatibus. Supra Lunam, aquarum augmentum.

*Mercurius elevatus in leone.*

Supra Saturnum, mortem hominum, siccitatem nimiam cum mediocri pluvia. Supra Jovem, bella multa in parte Orientis cum multis ventis. Supra Martem, bellum in multis regionibus, maxime tamen inter Orientem & Occidentem cum multa sanguinis effusione, pluvia superflua, & terrae motibus. Supra Solem, mortes repentinas cum ventis calidis. Supra Venerem, in pluribus climatibus mortem, & sanguinis effusionem, atrocina, aeris prosperitatem, & medioerem calorem. Supra Lunam, subitam in hominibus mortem cum turbulentis ventis.

*Mercurius elevatus in virgine.*

Supra Saturnum, frigus vehemens & inundationes. Supra

pra Jovem, hominum sapientum multitudinem, pluvias multas, paucitatem seminum & herbarum, multasq; inundationes. Supra Martem, in multis locis pavorem, aquas & humiditates mediocres. Supra Solem, reditus & exactiones multas, multos ventos, & multas pluvias. Supra Venerem, dejectiones quorundam Magnatum ac Regum à sedibus suis, tumultus, ac terribiles inter homines rumores. Supra Lunam, ventos turbulentantes.

*Mercurius elevatus in libra.*

Supra Saturnum, impedimentum inter Reges & Magnates, pluvias abundantes, annonæ mediocritatem & mesium, ventos mediocres. Supra Jovem, mortem Regum, multos latrones, interfectiones mercatorum & Ecclesiasticorum, timorem in regionibus multis, siccitatem & ventos calidos. Supra Martem, nebulas, pluvias multas, terræ motus, fulmina. Supra Solem, ventos validos cum abundante humiditate. Supra Venerem, bella, mortes, inundationes in pluribus regionibus. Supra Lunam, pluviarum bonitatem.

*Mercurius elevatus in scorpione.*

Supra Saturnum, bellum inter Reges, plurium animalium interitus, pestem magnam cum pluvia superflua. Supra Jovem, timorem & seditiones in plurimis terris, bellumque inter Orientales & Septentrionales populos. Supra Martem, bella, corruptiones per locustas & insecta cum nebulis & pluviis multis, caloreque etiam interdum vehementi. Supra Solem, pluvias multas cum ventis impellentibus. Supra Venerem, bella, turbas, latrocinia, pugnas inter orientales & meridionales, ventos multos, ac pluvias. Supra Lunam, multarum mulierum mortem, ventosq; ac pluvias multas.



*Mercurius elevatus in sagittario.*

Supra Saturnum, bella inter Reges, pluvias mediocrès, ventos vehementes, aquas multas. Supra Jovem, pugnas vehementes, timores, interfectiones & combustiones domorum Ecclesiasticarum, pluvias multas, devastationesque regionum. Supra Martem, populorum Occidentis mortem sævientem, pluvias multas ac ventos. Supra Solem, odium inter mortales, pluvias abundantes & ventos. Supra Venerem, turbas in multis locis, tribulationes, infortunia, & angustias multas, ventos temperatos. Supra Lunam, dissidium inter homines cum pluvia abundante.

*Mercurius elevatus in capricorno.*

Supra Saturnum, mortem magnarum mulierum, pluvias multas, ventos turbidos, herbarum detrimentum. Supra Jovem, bella, & remotiones quorundam Magnatum à regno, scandalum in multis regionibus, animalium mortem, pluvias magnas, frigus, terræ motus, & fulmina. Supra Martem, nihil. Supra Solem, ventos turbulentos cum superflua pluvia. Supra Venerem, captivitates & mortes in regionibus multis, interitum magnatum, abortus, frigus vehemens, multas nebulas, diluvia. Supra Lunam, humiditates multas, inundationes & pluvias.

*Mercurius elevatus in aquario.*

Supra Saturnum, frigus multum, pluvias, aquarum augmentum, incrementum messium, tonitrua & coruscationes. Supra Jovem, interfectionem quorundam magnatum, & horum filiorum, frigus, terræ motus, pluvias multas, bonosque proventus ac reditus. Supra Martem, humiditatem multam, hominum interitum, combustionem, multas pluvias.

vias, ventos & messes. Supra Solem, turbas, ventos validos, pluviasque superfluas. Supra Venerem, bella, pluviam multam, tonitrua, coruscationes, inundationes, messium detrimentum. Supra Lunam, turbas, pluvias paucas, ventos turbidos.

*Mercurius elevatus in piscibus.*

Supra Saturnum, volatilium paucitatem, aquarum detrimentum, ventos validos, pluvias superfluas. Supra Jovem, Magnatum quorundam interitum violentum, terræ motus, siccitatem, famem in quibusdam terris cum pluviis & ventis multis. Supra Martem, mortem in homines favientem, turbas, interfectiones, pluvias multas, messem copiosam, ovium mortem, multos ventos. Supra Solem, seditiones, Regumq; interfectiones, volatilium paucitatem, ventos seditiosos, pluvias superfluas. Supra Venerem, turbas, mortem in quarta hyemali, ventos validos, pluviasq; superabundantes.

Supra Lunam deniq; elevatus Mercurius in piscibus, significat seditiones, aquarum detrimentum, & humiditatem paucam.

Atq; hæc sunt significata Planetarum in 12. signis zodiaci, cum scilicet alter supra alterum est elevatus, ex quibus varii in mundo eventus, cum tempestatum prognosticis dignosci & observari non obscure possunt, si cum erudita & rationali experientia conferantur. Neque enim temerè, & sine judicio de futuris eventibus ex astris est pronuntiandum, ut nimis audacter faciunt Calendariographi nonnulli, sed omnia diligenter & prudenter pensitanda, cumque causis suis ad rationis & experientiæ tribunal revocanda. Paratus autem eram his significatis plura addere, quæ non minorem lucem

150      **ROD. GOCL. ASTROL. GEN. PARS II.**  
huic arti attulissent, verum huic proposito meo restiterunt,  
partim Typographus in aliis etiam operibus ad futuras nun-  
dinas absolvendis, occupatus, partim etiam negotia pu-  
blica & privata. Expectabuntur autem  
ea aliâ editione.

**SOLI DEO HONOR, GLORIA  
ET POTESTAS**

**F I N I S:**

---

Nota erratum in Epistola dedicatoria pag. 3. in deniq. quod abundat.





PRINCETON UNIV

Princeton University Library



32101 068310828

